AUTHOR:

FUTTERER, PETRUS

TITLE:

DE EURIPIDIS IONE ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

[1867]

Master Negative #

93-81175-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Fütterer, Petrus.
De Euripidis Ione ... Monasterii, ex typographia E.C. Brunn, [1867].
64 p. 23 cm.

Thesis. Münster.
Volume of pamphlets

~~Copy in Classics Reading Room.~~

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3.18.93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
EURIPIDIS IONE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVIII. MENSIS IUNII A. MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

PETRUS FUETTERER
SAXO-BORUSSUS
PRESB. PADERBORN.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

Praefatio.

Graecorum tragoedia a religione profecta est atque cum hac, et quoniam religio cum re publica maxime conjuncta erat, cum eius institutis intime coaluit. Quamquam vero ea, quae ad rem publicam pertinent, non unaquaque tragoedia clare cernuntur, sunt tamen semper fere quaedam, quae illam attingant. Quod occurrit apud tres Graecorum tragicorum principes, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, quorum neminem tamen magis hoc in tragoedis rem publicam respexisse certum est. Recte iudicat ac iuste hac in re de Euripide Jacobsius V. D. (Nachtrag V, 409), quum dicat: „Ueberhaupt aber hat wohl nicht leicht ein tragischer Dichter das subiektive Interesse seines Vaterlandes und des Nationalstolzes so oft und so offenbar dem obiectiven Interesse der Kunst beigefügt, und demselben bald in der Wahl des Stoffes, bald in der Einrichtung der Handlung, bald in einzelnen gelegentlichen Abschweifungen und Tiraden gehuldigt. Die Flehenden, der Ion, und die Herakliden sind einzig und allein diesem Zwecke gewidmet."

Sed etiam de nullo tragicorum principum magis diverse et plane contrarie, quam de Euripide a viris doctis iudicatum est, quum alii nimis laudarent eum, alii nimis vituperarent. Idem contigit eius Ioni fabulae. Inter viros doctos, qui hucusque de

compositione huius fabulae scripserunt, in primis nominandi sunt: Wielandius, G. Hermannus, Hartungius, Huelsemannus, A. W. Schlegelius, Gruppius, Bernhardyus [1]).

Qui viri doctissimi quamquam permulta huius tragoediae egregie tractarunt, nonnulla tamen sunt, in his summa ejus sententia, quae mihi quidem non recte perspexisse videntur. Quam ob rem illam fabulam denuo tractandam mihi delegi, et commentationem ita institui, ut

primum de summa huius tragoediae sententia agam,
deinde de fabula tragoediaeque compositae arte dicam.

[1]) cf. Wielandius „neues att. Mus. vol. I, 1. — G. Hermannus, praef. edit. — Hartung. Eurip. restit. — Huelsem. in edit. 1801. — Schlegel, Vorlesung über dramat. Kunst u. Lit. vol I. p. 246. Ipse conscripsit tragoediam Ionem, sed merito iniquo de hac iudicant Herm. praef. p. XXXI. et Bernh. Grundriss der griech. Lit. p. 430, qui illam tragoediam appellat: „eine missglückte Correktur des Euripides.“ — Gruppius, qui in „Ariadne oder die tragische Kunst der Griechen“ gravius et plus iusto in Euripidem invehitur. — Bernhardyus, qui l. c. in universum satis secundis verbis iudicat; videtur tamen etiam iniusto Cholevii iudicio assentiri, qui dicit: „das Stück hat, wie die meisten von Euripides, wunderschöne Theile, ist aber im Ganzen locker und liederlich gearbeitet.“ cf. Krit. Schriften II. n. 18. p. 141.

PARS I.

De summa, quae in Euripidis Ione inesse videtur, sententia.

§. 1.

Argumentum tragoediae enarratur.

1. Mercurius, primus in scenam progressus, prologum agit, et genere suo exposito causam, cur Delphos, (ubi agitur haec fabula,) venerit, affert, atque ita argumentum totius fabulae exponit. Scilicet Apollinem cum Creusa, Erechthei filia, Ionem filium genuisse, quem a matre in antro, cui nomen erat Μακραὶ πέτραι, expositum ipse Mercurius rogante Apolline ad limina templi Delphici asportaverat, ubi a Pythia sacerdote educaretur. Interea Creusa, quae cum regno Athenarum Xutho, quia bello inter Athenienses et Euboeae incolas exorto illos adiuvit, ob eius virtutem uxor tradita ab Erechtheo rege erat, cum illo, post longum connubium quum liberis carerent, oraculum de progenie consultura jam Delphis erat; his Apollo mox erat filium Ionem daturus. — Mercurius quum Apollinis filium templo egredientem, ut portas ante illud laureis ornet ramis, videat, scena relicta abit in antrum, neque iterum apparet. (cf. v. 1—81 [1]).

2. Ion deinde in scenam progressus primum reliquos Apollinis ministros exhortatur seseque ipsum ad suum sacrum munus

[1]) Numeri sunt editionis Nauckianae, Lipsiae 1862.

accingit; loquitur de studio suo ac ministerio in templo, Apollinem faustis precationibus et hymnis prosequitur avesque advolantes magna voce, ut fugiant, inclamat. Dum in his precibus versatur, chorus Creusae famularum accedens contemplatur ac miratur in tympano porticus picturas. Accedit inter puellarum cum Ione colloquium Creusa; hi item inter se colloquuntur, quo in colloquio Ionis simplicitas, Creusae, quae simul nomen genusque suum exponit, fabulam de Erichthonio et Minerva suamque salutem, iustae, sed nomine amicae tectae querelae in Delphicum deum apparent, quod infantem suum non servaverit. Colloquentes redeunt ad Xuthum, Creusae maritum, quem haec in antro Trophonii versari docet. Ion non dat Creusae copiam dei consulendi; Apollinem enim, ait, iuste eum, qui oracula redderet Creusae ea de re, quae deo ipsi esset dedecori, aliquo affecturum malo, et omnino dementiae esse, deos invitos cogere velle, ut quae nolint dicant, quoniam bona a diis per vim invitis ipsis accepta inutilia essent. Plura inter se colloquentibus, Ioni et Creusae, Xuthus Trophonii antro, quod de oraculo consulturus adierat, relicto accedit, primum deo dicit salutem, deinde uxori, cui interroganti, quid Deus in antro responderit, refert, illum nondum responsum edidisse, nisi: Xuthum cum uxore non sine progenie domum esse rediturum. Dum deinde Xuthus templum ingressus deum consulturus est, Creusa scena relicta, ut maritus jusserat, sacra facit et petit a diis, ut ille felix ex Apollinis templo referat oraculum. Ion tunc solus in scena relictus, memor adhuc Creusae verborum, cum Apolline nonnihil expostulat, aegre ferens, diis probra imputari. Ille ubi abiit, chorus Minervam invocat precibus et Dianam, ut fausta dominis reddantur responsa et antiquum Erechthei genus, cuius spes omnis in unica iam Creusa posita videbatur, progenie propagetur. Hinc parentes praedicat felices, quibus filii filiaeque floreant. Panem et Nymphas Atticas de iniuria Creusae ab Apolline illata testatur. (v. 82—508.)

3. E choro puellarum Atticarum, ubi solemni hymno preces de laeta progenie finivit, Ion in scenam redux et curiosissimus, quid Deus Xutho responderit, et cupiens, ut mox ille veniat e templo, quaerit: utrum hic iam penetrali exierit necne? Et ecce! ex oraculi adytis regressus Creusae maritus Ionem, primo illi occurrentem, ex Apollinis responso amplectitur ac salutat ut filium suum. Qua re inopinata ac nova planeque ut videbatur absurda commotus Ion istam respuit salutationem erroremque putat ex oraculo perperam ac falso intellecto natum, atque adeo Xuthum, nisi a se recederet, sagittarum coniectu necare minatur. Monet vero Xuthus, haec se dicere atque agere cognitis Dei oraculis, qui exeunti sibi e templo obvium puerum filium suum esse responderit. Ion primum multum cum Xutho altercans, deinde minus dubitans, quonam modo et quando filius factus sit, quaerit e Xutho, laetatur expositum se servum non esse factum agnitoque permittit patri, quae optaverat, oscula, desiderat vero matrem quoque cognoscere. Chorus, qui exsultat de progenie Xuthi desiderata, ut Creusa quoque filio augeatur optat.

Blande quidem tractat Xuthus Ionem ut filium suum eique, ut Athenas ipsum sequatur ibique regnum capessat amplissimasque possideat opes persuadere studet. Sed puer illuc se conferre nolens utpote patre inquilino natus ipseque nothus, elegantissima probat oratione, se longe vitam humilem, quietam, otiosam, periculis et molestiis carentem praeferre regum ac principum divitiis invidiosaeque felicitati. Cuius defensionem probat chorus atque optat, ut domina sua nihil hinc detrimenti capiat. Xuthus contra non cedens, festa natalicia, prius non celebrata, in Parnasso celebranda indicit; has ad epulas sese eum tamquam hospitem ducturum domesticum, eundemque primo saltem in Atticam terram ut hospitem, non ut filium suum; sperat aliquando Creusam ultro regnum esse ei concessuram. Choro, qui intererat illi colloquio, mortem minatur,

si aliquid de iis rebus, quas cum puero consuluerat, ad Creusam deferret. Xutho Ionem ad epulas deducente chorus, Creusae dominae misertus, calamitates, quas ex novo et subdito filio profluxuras videt, abominatur, mariti eius perfidiam detestatur, precatur sacra placenta ne diis sit accepta omniaque dominae suae prodere consilium capit. Vovet puero mortem optatque, ne umquam Athenas veniat, imperiumque perpetuum sit penes Erechthidas. (v. 509—724.)

4. Creusa, nescia adhuc, quidnam spei de progenie procreanda accepisset, senem servum, qui iam Erechthei paedagogus erat, monet, ut secum templum adiens sciscitetur Apollinis oraculum laeteturque, si quod Deus oraculum de futuris dixerit liberis. Ducens illum infirmum regina ad templum venit atque e choro, quamnam de liberis fortunam adeptus abierit maritus, quaerit. Tum ex ipso accipit, Xutho marito suo jam novum filium ab Apolline esse datum. Hinc luctus summus et lacrimae Creusae ac paedagogi. Qui puerum illum a Xutho olim e serva aliqua genitum alicui Delphorum traditum esse educandum opinatur, dum adolevisset, ubi Creusae, ut Delphicum adiret templum, persuaderetur; deprehensum in fraude culpam suam eum in Deum collaturum imperiumque Athenarum Ioni comparaturum. Itaque suadet senex excitatque dominam, ut poenas sumat a Xutho eumque utpote proditorem una cum adolescentulo interficiat, ne generosorum Erechthidarum hereditas ad illegitimos deveniat successores. Quod probat chorus. Creusa deinde, de mariti dolo proditaque fide certior facta, corporis sui labem ex stupro contractam indeque natum puerum, quem crudeli animo exposuisset, palam profitetur. Senex ubi hoc audit, valde perturbatus, apertius quaerit de loco, quo peperit Creusa, et de filio; monet, ne amplius lamentetur, consultat cum domina de illo interficiendo sibique ipsi huius caedis patrationem ultro deposcit, venenum Gorgoneum in adolescentis poculum demissurus. Chorus laetum ac felicem consiliis inter

Creusam ac servum senem communicatis precatur successum, Proserpinam invocando et Bacchum, Xuthumque ut peregrinum et adulterum detestatur; denique in Apollinem iniustum invehit. (v. 725—1105.)

5. Accurrit e Parnasso, ubi filius Xuthi novus comissabatur, alius Creusae famulus et choro, quem primum offendit, caedem adolescentis clam perpetrandam esse patefactam poenamque lapidationis a senatu Delphico dominae dictam nuntiat, longaque et eleganti narratione totum adolescentis convivium atque rem omnem, uti acta erat, ordine persequitur. Queritur quidem chorus, neque se neque dominam posse mortem effugere, sed Creusae raptim accedenti poenamque sibi dictam esse profitenti, ut aram amplectatur atque ita se salvam reddat, suadet. Quo facto, quoniam illa supplex, tuta est ab Ionis approperantis et ira furentis eiusque comitum armatorum impetu. Ion eam istinc abstrahere ad poenam solvendam conatur frustra; quae se contra pueri incusationes defendit atque interdicit ei, ne se interficiat. (v. 1106—1319.)

6. Quum jam nulla alia ratione vis ac periculum, quod parabat Ion, a Creusa amplius depelli posset, subito Pythia prophetissa, Ionis nutrix, e templo egrediens ad aram accedit, quam Creusa supplex amplexa est. Moderationem imperat Ioni; et dum hic facinoris sui rationem illi probat, haec arculam, in qua is erat olim cum quibusdam symbolis expositus ac repertus, proferens eum docet: „istam a se olim sublatam cistulam usque ad hoc tempus sese clam reservasse, sed nunc iam esse omnia patefaciunda.“ Tum igitur tradit puero cistulam, cuius signis matrem suam exquireret. Iam in animo ei est, ubi Pythia abiit, cistulam hanc oraculo dedicare neque omnino matrem exquirere, quia ne servam investiget matrem veretur. Attamen statim sese revocat ab hoc consilio; fato enim potius cedere apud animum constituerat. Dum cistulam manu tenens contemplatur ac venerabundus scrutatur, Creusa

ab ara vel cum vitae periculo prosiliens summo laetitiae affectu statim illam agnitam prehendit; proinde Ionem filium suum esse colligit, quod et illi ipsi evidentissimis probat argumentis, quum puero examinanti omnes eas, quae cistulae insunt, res explanat. Hinc subito mutua oscula et amplexus. Exponit mox Creusa filio, qui et Xuthum patrem gaudii cum ipsis participem vult esse, Apollinem eius esse patrem additque, quomodo eum infantulum exposuerit. Ion vero quum dubius Apollinem ipsum ea de re consulere velit, verene suus pater sit, Minerva subito apparet, quae totam rem exponit eaque, quae Creusa dixerat, vera confirmat. Quod Apollo non ipse appareat, excusat; sed eum ipsum semper Ioni providisse, et in posterum quoque diis hunc et Atheniensium regnum in primis cordi fore. Itaque monet Creusam, ut Ionem secum ducat Athenas eique imperium utpote ex Erechthei posteris nato committat, praedicitque nomen Ionis per totam Graeciam magnum fore, eiusque posteros Asiam et Europam inhabitaturos. Celare praeterea illam iubet Xuthum Ionis verum genus, ille ut in gratissimo, quo duceretur, errore maneret. Minerva comitatur, quum Ion Creusam, monitus ab hac, Athenas sequatur, ut ibi imperium ineat. — Omnes abeunt. —

(v. 1320—1622.)

§. 2.

Quae sit summa huius tragoediae sententia, exquiritur.

Viri docti de eo, quo sit haec tragoedia ab Euripide composita, consilio inter se dissentiunt. Inter quos primum commemoro F. Huelsemannum, qui in editione sua (Lipsiae 1801) p. 40 sic scribit: „Actionis summa haec est: „Ion, puer expositus, ignorans parentes suos, per varios casus matrem germanam suam agnoscit, et monente Minerva, dea ex machina, verum suum patrem Apollinem esse comperit. Agnitio igitur parentum et filii sunt argumenti scopus, ad quem omnia ordine egregie redeunt."

Simili modo Wielandius [2]): „Die Geschichte, dem natürlichen Lauf der Dinge getreu, macht den Ion, dessen Wiedervereinigung mit seiner ihm bisher unbekannten fürstlichen Mutter die Haupthandlung des Stückes ausmacht, zu einem Sohne des Xuthus und der Creusa."

Recte si hos viros doctos intellego, Euripides eis nihil aliud hac tragoedia videtur spectasse, nisi ut legentibus vel spectantibus agnitionis historiam proponeret. Ad hanc sententiam probandam afferre forte quis possit, Euripidem, ut plurimis tragoediis, sic hac quoque theatrum adulantem spectatorum captasse plausum. Sed hoc tantum consilio tragoediam hanc eum composuisse, credere non licet. Horatius dicit [3]):

„Aut prodesse volunt aut delectare poëtae,
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae."

Secundum Huelsemannum et Wielandium Euripides hac tragoedia omnino non est id consecutus, quod ut poëta consequi debebat, nec delectationem attulit spectatoribus, quoniam hi per totam fere fabulam animi concitatione tenentur, neque utilitatem agnitionis tantum proposita historia. At si vere hoc tantum, ut illa parentum filiique agnitione spectatorum delectaret animos, spectasset, eum ut tragicum poëtam prorsus dedecuisset, quum ne comicus quidem poëta delectare tantum intendat.

Itaque illi viri docti, quid Euripides consilii, quum hanc componeret fabulam, habuerit, mihi quidem omnino non recte videntur intellexisse.

2. Aliter de huius fabulae sententia iudicat Gruppius. Postquam enim in illo libro, quem supra in praefatione memoravimus, p. 406 de Iphigenia Taurica dixit: „Bei Euripides lautet

[2]) cf. Neues att. Mus. I, 1, p. 4.
[3]) a. p. vv. 333 et 334.

das Orakel nicht von der Schwester, sondern (v. 87) bloss dahin, dass Orest wirklich das Götterbild entführen soll, und gerade hierauf legt der Dichter zum Schluss wieder Wichtigkeit, weil er dadurch gleichsam Athen um eine Gottheit zu bereichern denkt, also dass vielleicht nur solcher Patriotismus der Poesie im Wege gestanden hätte": sic pergit:

„Aehnliches wenigstens hatte Euripides bei seinem Ion im Sinne, mit dem er, wie O. Mueller in den Dorern (Theil II. p. 246) ebenso sinnreich, als überzeugend dargethan hat, den dorischen Gott Apollon den Athenern durch eine pia fraus zueignen wollte."

O. Muellerus igitur et Gruppius hanc tragoediam eo consilio scripsisse poëtam putant, ut Apollinem Doriensium deum, Atheniensium ut Ionibus pia fraude arrogaret. Qui viri docti hoc consilium Euripidem in hac fabula componenda secutum esse credentes a sententia proficiscuntur, Apollinem primitus Dorum esse deum. Poëtam igitur existimant Muellerus et Gruppius, ut deo Doriensi adiecto Athenarum deos augeri vellet, piam commisisse fraudem. Sed adversus hoc mihi videtur dicendum, Euripidem, si Apollo vere esset primitus Dorum deus, risum movisse Atheniensibus, si ipsis id, quod non eorum esset, arrogare studuisset. Quod stulte poëtam fecisse equidem non credo. Quin etiam mea est sententia, illud, quod illi viri docti volunt, consilium omnino non potuisse sequi, quum hanc componeret tragoediam. Nondum enim prorsus certum est, ut Muellero videtur, Apollinem primitus esse Dorum deum; sed recentiore aetate hanc Muelleri sententiam falsam esse Schoenbornius illo libello, qui inscribitur: „Ueber das Wesen Apollon's und die Verbreitung seines Dienstes, Berlin 1854": perspicue ac dilucide docuit. Quodsi ostendit ac demonstravit, Apollinem non proprium esse Deum Dorum, sed et horum et Ionum simul θεὸν πατρῷον, quem vocant, eo simul Euripidem non hoc consilio, ut Deum

illum pia fraude Atheniensibus ut Ionibus arrogaret, componere hanc fabulam potuisse apparet.

3. Aliam de poëtae in hac tragoedia componenda consilio sententiam proponit G. Hermannus, qui ab Euripide eam esse compositam censet, peregrinae originis suspicio ut ab Atheniensibus removeretur. Sic enim scribit in praefat. Ion. p. XXXII: „Pulchre intellexit O. Muellerus, qui quod in Doriensium vol. II. p. 246 [4]) monet, eximia arte ita esse fabulam a poëta compositam, ut Ion ne peregrinus, sed genuinus Erechthida videretur, id adeo apertum est, ut mirum sit non omnibus statim, qui eam tragoediam legerent, in mentem venisse. Nam non solum inventio fabulae tota ad eum finem spectat, sed etiam aliquot locis tam cupide vel gloria Erechthidarum extollitur, vel odium proditur advenarum, ut suspicari liceat, sopitam Ionicae invasionis famam eo tempore, quo scripta est haec tragoedia, denuo excitatam fuisse, exortis, qui victos ab alienigenis Athenienses peregrinorum regum dominationem subiisse iactarent."

Sane quidem hoc concedendum est, nec quemquam Ionem legentem fugiet, huius tragoediae multos locos ad Athenarum laudes gloriamque et advenarum odium pertinere, poëtam laudibus efferre fabulam patriam et probare superbam Atheniensium opinionem, Ionem, auctorem generis Ionum, simul institutorum ac legum huius gentis auctorem in Attica e mero sanguine veterum Atticae principum esse genitum, non vero filium advenae; sed non ita tragoediam instituit, ut illud maxime, illud solum sibi proposuisse videatur.

Nam quod Ionem non peregrinum, sed genuinum Erechthidam esse docuit, poëtam tantum adiuvit, ut quod maxime

[4]) Muell. Doriens. II p. 246: „Euripides löst den Ion ganz von Xuthus, der immer etwas derb und rauh, selbst tyrannisch geschildert wird, und wendet Alles so, dass er nicht als Eindringling, sondern als einziger Spross des Erechthidenstammes weiblicher Linie erscheint. Dadurch wird die Autochthonie der Athener gerettet, auf welche der Demos sich so viel einbildete, und der widerstrebende Mythos auf eine erwünschte Weise beseitigt."

spectavit, consequeretur. Euripidem enim equidem omnino puto sententiam quandam, quae ad rem publicam pertinet, religione sustinere atque confirmare voluisse, eiusque sententiam fuisse hanc: „Optimam saluberrimamque rei publicae formam esse eam, quae in αὐτοχθονίᾳ, quam vocant, posita excoleretur.“

Quam sententiam, si quaeris, cur poëta publice pronuntiaverit, studiis eum earum, quae Athenis illo tempore, quo hanc composuit fabulam, maxime vigebant, partium obniti voluisse, sine ulla dubitatione respondere possum.

Quae vero tunc partes Athenis fuerint, quid voluerint, antequam exponam, agendum mihi certo ante omnia erit de anno sive de tempore, quo hanc ego tragoediam ab Euripide scriptam putem.

§. 3.

Tempus, quo fabula conscripta sit, exquiritur.

De eo, quo composita haec sit tragoedia, anno diversae jam sunt propositae sententiae, quum aliquid certi nusquam inveniatur, ne apud Aristophanem quidem, e cuius comoediis annus, quo nonnullae Euripidis fabulae scriptae et actae sint, cognosci potest; nusquam enim hic „Ionem“ videtur in partes vocasse, non magis, quam Supplices et Heraclidas, quae fabulae in Atheniensium praedicandis laudibus versantur. Primum videamus, quid de anno, quo conscripta sit fabula, Boeckhius, vir doctissimus, sentiat. In libro „de graec. trag. princip.“ p. 191 sic scribit: „Agi haec (scil. parodum) in porticu Delphica manifestum est e vs. 184, ubi sunt εὐκίονες αὐλαί, et vidit hoc iam Tyrwhittus; Musgravius autem per prolepsin designatam hic putat eam stoam esse, quam devictis ad Rhium Lacedaemoniis a Phormione Ol. LXXXVII, 4. (Thucyd. II, 84. Diod. Sic. XII, 48.) Delphis aedificarant ex praeda atque ornaverant. (Paus.

X, 11, 5.). Utrum Rhium sit, nihil interest: Molycricum intellegit Dodwellus Annal. Thucyd. p. 657. Quod si verum est, Ion acta erit non multum post Ol. 87, 4; et hoc non dissimile veri, praesertim quum vs. 1592 praeter necessitatem promontorium Rhium commemoratum sit, quippe ut fausto gratoque nomine Atheniensis delectarentur. Praeterea imagines sunt totae Atticae, Atticoque donario maxime conveniunt, sive eas in tabula descriptas sive aulaeis intextas putes, quod potissimum placet Boettigero de fur. person. p. 14. nec mihi aliter.“ Boeckhius igitur hanc fabulam non multo post Ol. 87, 4, doctam esse putat. Cujus V. D. argumenta, quibus sententiam suam probare studet, tamen non sunt tam gravia, ut facile quis sibi persuadeat eique consentiat. In hac enim fabula eam stoam designatam esse, quam Athenienses post devictos ad Rhium Lacedaemonios Ol. 87, 4, aedificassent, recte jam monet Zirndorferus,[5]) meram esse conjecturam, neque quidquam toti fabulae inesse, quod illam rem Euripidem respicere ostendat. Quod versu 1592 promontorium Rhium commemoratur, eo tantum fit consilio, ut illa regio, cuius dominus sit futurus Achaeus, accuratius definiatur. G. Hermannus etiam aliam affert causam, cur mentione promontorii Rhii facta cum Boeckhio facere non cogamur. Dicit enim praef. p. XXXII: „Nam quod Boeckhio visum est, quoniam v. 1612 (ed. Herm.) Rhium memoretur, recentem fuisse memoriam proelii, quod ibi commissum est Ol. 87, 4, id sic demum aliquam vim haberet, si victoria Atheniensium ad eum locum proximis sex septem annis clade ibidem accepta deleta esset.“ Haec igitur res non est tanti momenti, ut hanc tragoediam Ol. 87, 4 doctam credamus cum Boeckhio. Huc vero accedit, quod oeconomia, quae vocatur, huius tragoediae et metrum ne Boeckhium sequamur vetat. Sed etiam Hermanno,[6]) qui ex numeris versuum fabulam

[5]) cf. de chronologia fabb. Eurip. Marburg 1839. p. 80. — [6]) cf. praef. p. XXXII.

hanc nec post Ol. 89. nec multo prius doctam esse colligit, eadem de causa non est assentiendum, quam ad Boeckhii sententiam reiiciendam attuli; nec magis Hartungio,[7]) e cuius sententia haec fabula circa Ol. 88, 2 = 426 a. Chr. acta est mediaque inter Hippolytum alterum (Ol. 87, 4 = 428) et Hecubam (Ol. 88, 4 = 424) fuit. Qui quidem illum annum probare studet his argumentis. Primum nititur, ut Boeckhius, mentione promontorii Rhii facta; qua de re iam antea dictum; deinde eo, quod Euripides vv. 59—62 bellum cum Euboeae incolis feliciter gestum commemoret: *ἦν ταῖς Ἀθήναις τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις* etc.: quo in bello Xuthus Creusam accepisse fingatur: Hoc enim Periclis memoriae proditum esse cf. Thucyd. 1, 114. et Plut. c. 22. 23.

Thucydides sane l. c. Athenienses Pericle duce totam insulam Euboeam subiecisse enarrat, sed hoc factum est anno 432; cur igitur annus 426 statuatur, perspici non potest.

Tertia denique temporis significatio ei accedit ex versu dramatis 1584, quo Iones, qui Asiam incolunt, ex Ione oriundi et sanguinis propinquitate cum Atheniensibus iuncti, civitatis horum robur et incrementum esse praedicentur:

ὃ σθένος τἠμῇ χθονὶ
δίδωσιν· ἀντίπορθμα δ' ἠπείροιν δυοῖν
πεδία κατοικήσουσιν, Ἀσιάδος τε γῆς
Εὐρωπίας τε.

„Atqui Olympiade 88, 1 = 427 gravisimum fuisse periculum, ne Lesbii, qui ab Atheniensibus ad Peloponnesios descivissent, defectionem Ionum et Graecorum, qui Asiam incolerent, omnium traherent. Simul igitur hos necessitudinis, qua cum Atticis coniuncti essent, admonere voluisse poëtam simulque cives ad occupandos strenue hostes adhortari.“ Sed fieri omnino non potuisse videtur, quin tantum periculum afferret

[7]) cf. Euripid. restit. vol. I p. 451.

defectio Lesbi insulae, quoniam Iones Asiae illam, in primis Mytilenen urbem maximas eius rei poenas pendere videbant.

Ea igitur, quibus eius sententia nititur quibusque ipse eam probare studet, mihi quidem nullo modo possent persuadere argumenta, etiamsi metrum et oeconomia huic sententiae non obstarent.

Eodem anno (1843), quo Hartungius illum librum, qui „Euripid. restitut.“ inscribitur, in publicum edidit, Fixius Parisiis apud Firmin Didot Euripides fabulas recognitas, quibus chronologiam fabularum praemittit, vulgavit. Qua in chronologia (p. X) verisimile ei videtur, scriptam hanc tragoediam esse circa Ol. 90 = 419.

Rem suam sic fere defendit: „Ex Aristophanis vespis notum esse, frumentum, quod anno superiori ex Euboea advectum esset, inter cives viritim distribuendum permultis litibus ansam dedisse (vesp. 715—719), numerumque eorum, qui tum peregrinitatis postulati essent, fuisse tantum, ut teste Philochoro apud scholiastam amplius quatuor milibus et septingentis e civitate eiicerentur. Hac opportunitate valde probabile esse ipsius gentis origines in disceptationem esse vocatas, renovata apud multos impositi quondam ab Ionibus iugi memoria, atque ita Euripidem veterum regum germanam stirpem ab accusatione iacta conari vindicare. Praeterea rerum publicarum condicionem ac statum, qualis tum fuerit quemque poëta ipse sub Ionis persona v. 589 sqq. adumbrarit, aptissime congruere illi tempori, quo Cleone mortuo Hyperbolus quidam, sycophanta improbissimus, imperium fori tenebat tantamque apud populum auctoritatem consecutus erat, ut fere solus regnare videretur, et potentissimos quosque cives procaciter lacessere non vereretur. In fabulae numeris denique quaedam recentioris aetatis vestigia deprehendit.“

At Fixii quoque ratio non est firmior, quam illorum, quos iam supra memoravi. Origo enim gentis Atheniensis saepius in

disceptationem vocari poterat, exempli gratia tempore expeditionis Siciliensis, quo rerum publicarum condicio ac status Athenis multo etiam tristior erat et miserabilior. Huc accedit, quod huic ipsi tempori magis conveniunt fabulae numeri; metrum enim, ut statim videbimus, indicia ac vestigia habet multo etiam recentioris aetatis, quam Fixio videtur. Iam vero, ut quid equidem ipse sentiam de tragoediae huius tempore, proferam, in universum me facere cum Zirndorfero l. c. fateor, quippe non multo post expeditionem Siciliensem illam compositam esse, sed tamen non nimium cum illo viro doctissimo contenderim.

Duo in primis argumenta adhibenda sunt ad definiendum tempus, quo scripta et acta sit haec fabula. Primum quidem metrica ratio respicienda est; et quod ad hoc attinet, recte G. Hermannus V. D. pluribus locis [8]) monuit circa Ol. LXXXIX vel XC (= 420 vel 418) minus curae et diligentiae ad tragoediae compositionem adhibitum esse, quod in primis cerneretur in solutionibus longarum syllabarum et usu anapaesti in senariis et octonariis, atque ita quidem, ut tales solutiones eo plures inveniantur et anapaestorum usus eo saepius occurrat, quo recentior sit quaeque tragoedia.

Alterum vero argumentum, quo quid colligi possit, ex ipsa arte scenica petendum est.

In Sophocle ars scenica summum assecuta erat fastigium, per Euripidem autem ea magis lapsa atque neglecta est. Hoc vero non subito factum esse, sed paullatim, iam in rerum natura positum est; itaque iure colligi potest, Euripidis priores fabulas meliores fuisse atque ita Sophocleae arti propius, quam posteriores accessisse. Si fabulas poëtarum tragicorum consideramus, eas

[8]) cf. God. Herm. de Graecae linguae dialectis in opuscul. T. I. p. 135; in element. doctr. metr. p. 71; p. 83; p. 115; p. 119; p. 123; praef. Eurip. Suppl. p. IV et Bacch. p. XXXIX; p. XLI; p. XLII; cf. Herm. ad Eluisleii edit. Medeae p. 329. edit. Lips.

partim felicem habere exitum, partim infelicem invenimus. Sic Aeschyli tragoediae plurimae infelicem sive tristem exitum habent, itemque omnes fere Sophoclis, Philocteta excepto et Oedipo Coloneo. Has vero duas fabulas Sophoclem summa aetate scripsisse satis constat. Item Euripidis tragoediae, ut Medea et Hippolytus, quarum aetatem novimus, et quae tristem habent exitum, priores, Helena vero et Orestes, quae felicem, posteriores sunt. Si igitur Aeschylus, antiquissimus horum trium poëtarum plurimas fabulas tristis, Sophocles vero et Euripides posteriores poëtae priores item infelicis, recentiores felicis exitus scripserunt, colligi potest, omnino fabulas posterioris temporis faustum solitas esse habere exitum. Aptior tragoediae exitus est infelix sive tristis. Aristoteles enim poët. c, 6, 2 his verbis: „ἐστὶν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης· ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστῳ τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις· δρώντων καὶ οὐ δὶ ἀπαγγελίας· δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν“: proprium finem tragoediae in eo ponit, ut terrorem excitet et miserationem, quod fieri non potest felici tragoediae exitu, quum in primis exitu fabulae moveamur.

Hermannus quoque omnino non probat felicem tragoediae exitum; ad Aristotelis enim poët. p. 147, ubi Aristoteles de diversis exitus generibus in tragoedia loquitur, sic dicit: „Quartum denique quod ponere poterat Aristoteles, plane omisit: hoc dico, si vir iustus et probus ex adversis rebus secundam fortunam consequatur. Exempla certe in promptu erant, ut Philoctetes. Sed omisit, ut arbitror, propterea quia omnino felicem tragoediae exitum improbat: id quod merito facit.“ Et Aristoteles ipse hac de re quid sentiat, his verbis profitetur poët. 13, 6: „ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἁπλοῦν εἶναι μᾶλλον ἢ διπλοῦν, ὥςπερ τινές φασι, καὶ μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας, ἀλλὰ τοὐναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν·“ et paullo inferius: „διὸ καὶ οἱ Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντες αὐτοὶ

ἁμαρτάνουσιν, ὅτι τοῦτο δρᾷ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, καὶ πολλαὶ αὐτοῦ εἰς δυςτυχίαν τελευτῶσι· τοῦτο γάρ ἐστιν, ὥσπερ εἴρηται, ὀρθόν."

Hunc vero finem fabulae poëtae posteriore demum tempore reliquerunt. Posterioribus etiam temporibus Athenienses, quum molliores facti essent, magis felicem, quam infelicem ferre poterant exitum. Itaque eum, quem multa et gravia mala ferentem conspexerant, in fine saltem felicitate uti videre voluerunt.

Quodsi fabularum, de quarum aetate constat, priores infelicem, posteriores felicem exitum habent, merito quodam iure retro licet colligi: eas fabulas, de quarum aetate nihil certi constat quaeque infelicem sive tristem exitum habeant, priore, quae felicem sive hilarem, posteriore tempore scriptas esse.

In fabulis vero infelicis exitus minus invenitur in numeris solutionum, quam in iis, quae felicem habent exitum, sic in Medea et Hippolyto (act. Ol. 87 = 429), in illa circiter 72, in hac 49 invenimus, in Helena vero (act. Ol. XCI = 412) 390, in Ione 320, in Oreste (act. Ol. XCII = 408) 569.

Sic confirmant sese invicem haec duo argumenta. —

Ad haec tertium accedit, quod cernitur in oeconomia tragoediarum. Sunt enim nonnullae tragoediae, quae unam tantum actionem habent, ut Medea, Hippolytus, Iphigenia Taurica, Helena, Ion, Orestes, aliae vero, quae duas, vel plures actiones habent, ut Hercules furens, (act. Ol. LXXXIX, 3 = 421), Hecuba (act. Ol. LXXXVIII, 4 = 424), Supplices, quarum una felicem exitum, altera infelicem habet. Medium igitur locum hae fabulae duarum vel plurium partium tenent inter eas, quae tristem, et eas, quae hilarem exitum habent. Sed etiam numerus solutionum in fabulis duarum vel plurium actionum medius est inter fabulas felicis et infelicis exitus: nam in Hecuba 80, in Supplicibus 167, in Hercule furente 207 solutiones invenimus. cf. Zirndorf. l. c. p. 2—12.

Quodsi omnia comprehendimus, hoc certum est, Euripidem Ionem recentiore aetate conscripsisse. Quamquam vero in

universum cum Zirndorfero (cf. l. c. p. 79) consentio, non multo post expeditionem Siciliensem hanc fabulam scriptam esse, non tamen equidem credo, ea quae attulit argumenta tanti esse momenti, ut certum annum, et quidem 413 statuere possimus. Metri sane conformatio, nisi certiora sunt argumenta, efficere quidem potest, ut cognoscamus, quo fere tempore scripta aliqua tragoedia sit; sed ex eo, quod in „Helena" (act. a. 412) inveniuntur circiter in 1320 versibus iambicis vel trochaicis 390 (inter quas 21 anapaesti in initio sunt), in Iphigenia Taurica (act. a. 414) in 1130 versibus 280 solutiones (inter quas 22 anapaesti in initio sunt), in Ione in 1170 versibus 320 solutiones, (inter quas 26 anapaesti), ex eo, inquam, quod in Iphigenia multo minor solutionum numerus sit, quam in Ione, et hac in fabula minor numerus, quam in Helena, non cum Zirndorfero colligam, ipsum annum 413 huic tragoediae esse statuendum. Non enim tantum est discrimen numeri solutionum, in Ione saltem et Helena, ut anno diverso has fabulas, hanc anno 412, illam anno 413 actam esse necesse sit. Sic etiam in Hercule furente (act. Ol. 89, 3 = 421) circiter 207, in Supplicibus vero (act. 89, 4 = 420) tantum 167 solutiones occurrunt. Hoc igitur tantum pro certo statui posse mihi videtur, hanc tragoediam circiter intra annos 413—411 et scriptam et actam esse.

§. 4.

Qualis tempore fabulae conscriptae rei publicae Atheniensium fuerit condicio ac status, enarratur.

Quo tempore hanc tragoediam poëta conscripsisse videtur, Athenis duae inter se adversariae erant partes, quarum utraque, ut ea, cui favebat, rei publicae forma Athenis esset ac valeret studebat. Altera enim aristocratiam, quam vocant, altera democratiam esse volebant. Mox vero utraque in peius vertebatur, ita ut altera paucorum arbitrio Atheniensium rem publi-

cam belli domique agitari (ὀλιγαρχίαν), altera plebis arbitrio (ὀχλοκρατίαν) regi vellet. Quae quidem partes vel maxime hoc tempore, altera alteri obnitebatur. Iam initio expeditionis Siciliensis optimates, quippe quibus multitudinis imperium in dies periculosius fieret, eo magis, si expeditio illa prospere Athenis cederet, Hermocopidarum causa,[9]) quae vocatur, Alcibiadem, illo tempore caput plebis opprimere atque ita prohibere studuerunt, quominus multitudo potentiam suam augeret. Quod optimatibus prospere evenit. Re vero in Sicilia non feliciter peracta Athenis et in civitatibus foederatis Alcibiades effecit, ut modo haec, modo illa pars praepolleret; quo factum est, ut etiam rei publicae forma his illis superantibus mutaretur.

Quod quoties factum est, non quiete processit, sed seditio, persecutio, caedes fuit. Quum vero concilium illud quadringentorum optimatium imperium occupasset, concionem tantum e quinque milibus civium constare passi sunt, quos et creare et vocare in illorum erat arbitrio. Qua quidem re factum est, ut quadringenti illi infinita potestate atque ad suum arbitrium Atheniensium administrarent rem publicam.

Prudentia, dolo, vi ac temporum observatione quum illi optimates summam voti sui essent consecuti, quam qualemque condicionem ac statum Athenis provocarunt! Eam potentiam, quam occupaverant, ut tenerent, vi agebant; alii adversariorum expulsi, alii in carcerem inclusi, alii interfecti sunt; denique quicunque adversari eis et repugnare parabat, in vitae periculo versatus est. cf. Thucyd. VIII, 63—66, 70 seqq.

Quum Pisander Samo in insula et ii optimates, qui cum eo consentiebant, per catervam trecentorum virorum e plebe

[9]) cf. Isocrates περὶ τοῦ ζεύγους §. 4. Wachsmuth Hellen. Alterthumskunde I. 2, p. 192—197. Droysen im Rhein. Mus. III, 2 et IV, 1. Berlin. Lit. Zeitung 1842, Nr. 48 contra Wattenbachium: „De quadringentorum Athenis factione". Berolin. 1842, qui iam ante quadringentas illos omnino fuisse factionem oligarchicam negat.

ceteros ut populi potentiae amicos persequerentur, plebis principes hoc nuntiarunt ducibus classis, in qua tum robur plebis versabatur, eosque cohortati sunt, ne populi potentiam Samo in insula opprimi, eamque, quae sola esset Atheniensibus praesidio, amitti paterentur. cf. Thucyd. VIII, 73.

Hi vero eos, qui populi causam agebant, Samo in insula contra illos trecentos adiuverunt, e quibus triginta interfecerunt, tres maxime sontes expulerunt, atque ita democratiam, quam vocant, vi et armis confirmarunt. Quod optimatium consilium tali modo irritum factum Athenas quum Samii, nescii, quid ibi accidisset, nuntiarent, quadringenti illi nuntios ceperunt praeter unum, Chaeream, qui in insulam reversus ibi et in classe rem publicam, plebis potestatem, Athenis eversam esse renuntiavit; milites classiarii iracundia exarserunt ita in coniuratos optimates, ut in eos irruere vellent. Sententia vero mutata milites classis omnes sanctissime iurarunt, sese democratiam servaturos, bellum contra Peloponnesios confecturos, illisque quadringentis adversarios esse futuros. cf. Thucyd. VIII, 74. 75. Ad idem Samii sese cum iis coniunxerunt. Milites classiarii eos duces, quos coniunctos cum illis optimatibus suspicabantur, loco suo moverunt eorumque imperium ad Thrasyllum et Thrasybulum detulerunt. Thrasybulus quum Byzantium in Peloponnesiorum partes transisset, classem, ut Alcibiadem revocaret, permovit. cf. Thucyd. VIII, 78—82. Alcibiades revocatus militum ita irritavit animos, ut primo Athenas navigare et in quadringentos illos vindicare vellent. Sed hoc quominus exsequerentur, ipse prohibuit. Deinde milites exacerbatos quin in legatos, qui Samum in insulam missi erant ab illis quadringentis, inveherentur, Alcibiades vix avertere potuit.

Quod vero quadringentos suo loco movendos legatis dixit, legatique Argivi, qui hoc ipso tempore aderant, populum Atheniensem sese adiuturos promiserunt, hic rerum condicione iam diu non contentus animum recepit seseque aegre pati ostendit.

Simul in ipsis optimatibus discordiae oriebantur, e quibus Theramenes, Aristocrates, [10]) alii, qui tunc negotia publica administrabant, et in concione populi rebellantis quinque milia quoque re vera in partem vocari rei publicae administrandae oportere censebant et aequabilius constitui rem publicam, gratiam populi hac re sibi conciliare studebant, fieri eius principes, alios optimates opprimere. cf. Thucyd. VIII, 89. Adversum hos vero exsurrexerunt Phrynichus, Aristarchus, maxime populo adversarius, Pisander, Antiphon, alii. cf. Xenoph. Hellen. I, 7, 28. Qui iam prius, quum classis Samia eis obstaret, in promontorio Eetioneia, quod Piraeum a septemtrionali parte includebat, murum exstruxerant; tunc vero rebus praeter opinionem succedentibus pacem per legatos Spartam missos cum Peloponnesiis inierunt, et Eetioneiae magis, ut Peloponnesios reciperet, munitae omne frumentum deponi iusserunt. Contra hoc, quippe quod urbi multum periculi inferret, enisus est Theramenes, qui etiam classem quadraginta duarum navium ad Laconicae oras exornatam, ut invitata Euboeae incolas, qui defectionem ab Athenis moliebantur, adiuvaret, non ob aliam causam, quam ut Eetioneiam obsideret, exstructam esse contendit. Hoc quidem non sine causa. Nam optimates id quidem maxime spectabant, ut imperium in totam Atheniensium rem publicam, aut saltem sui iuris in urbem atque eius classem resque maritimas tenerent. Spe vero decepti suae salutis causa hostes recipere volebant, ut sub horum tutela urbem saltem tenerent in sua potestate. Thucyd. VIII, 90. 91. Hac animi illarum partium concitatione Phrynichus, qui modo a legatione reverterat, in foro medio sole occisus est. [11]) Cuius facinoris auctor quum aufugisset, socius vero captus quaestione a quadringentis instituta nihil aliud se scire, nisi multos homines in diversis domibus convenire, confessus esset, Theramenes audacius dixit, classem illam, quam supra memoravimus, ad Epidaurum appulsam accedere, ut Eetioneiam obsideret. Hoplitae ad Eetioneiam concitati Alexiclem, unum ex optimatium principibus, comprehensum domi incluserunt. Quod quum quadringenti illi in curiam modo convocati audissent, ii, qui maxime paucorum potentiam exsequerentur, minis insequebantur Theramenem eosque, qui cum eo sentiebant, et statim arma capere statuerunt.

[10]) cf. Wachsmuth l. c. I, 2, p. 204. Hermann Lehrb. der griech. Staatsalterth. 3te Auflage §. 167. — [11]) cf. Goeller ad Thucyd. VIII, 92. Scheibe „die oligarch. Umwälzungen zu Athen," Leipzig 1841, p. 50, 5.

Magno tumultu in urbe et in Piraeo exorto nonnulli cives maiores natu vix Athenienses, quominus ad arma concurrerent, impedire potuerunt. Theramenes, qui in Piraeum pervenit, sese illam seditionem non probare simulabat; ipso vero auctore ab hoplitis et Piraei incolis munimenta Eetioneiae diruta sunt. Ad quae destruenda omnes cohortatus est, qui magis quinque milia, quam quadringentos summam imperii tenere cupiebant. Hac enim specie Theramenes iique, qui cum eo faciebant, dissimulabant et tegebant suum studium, populi potentiam restituendi; qua restituta sese rei publicae praefuturos sperabant. Postero die quum quadringenti illi in curia convenissent, Theramenes autem cum suis in Dionysi theatro in Piraeo sito, deindeque in urbem profecti ad Castoris et Pollucis consedissent, cum his illi per internuntios collocuti potestatem sese tradituros professi sunt quinque milibus, quae ex suo numero novum eligerent consilium. Quo factum est, ut multitudo concitata pacaretur et stato die in Dionysi theatro conveniri statueretur, firmas leges ut rei publicae constituerent. [12]) Civibus iam magnam partem in curiam coactis classem Lacedaemoniam Athenas tenere subito nuntiatum est. Tum nemo iam dubitabat, quin Theramenes recte suspicatus esset, et Agesan-

[12]) cf. Thucyd. VIII. 92, 93.

dridam, classis ducem cum iis, qui paucorum potestate rem publicam regi volebant, colludere, ut Atheniensibus horum gratia metum incuterent, verisimile erat. Thucyd. VIII, 94. Quum vero Peloponnesii Sunium circumvecti classem ad Oropum constituerent, Athenienses Thymocharem cum navibus celeriter coactis, ut Euboeam defenderet, Eretriam, ubi pars erat classis Atheniensis, miserunt. Eretriae vero optimatibus conspirantibus cum Peloponnesiis signoque dato Agesandridas navi advectus Athenienses non satis paratos aggressus est, superavit, deprehenditque viginti duas naves, quarum milites partim occisi sunt, partim capti. Qui Athenienses Eretriae salutem petebant, ab incolis interfecti sunt, pauci tantum in illius arcem ab Atheniensibus tum obsessam confugerunt. Tota Euboea praeter Oreum defecit, quique descierant, paullo post cum Boeotiis sese coniunxerunt.[13] Quo Athenas nuntiato perturbatio exorta est magna; et profecto Athenae erant magnis in angustiis. Quas si Peloponnesii in rem suam convertissent, uno ictu bellum finiri potuit; sed dubitatione et cunctatione Peloponnesiorum in temporis discrimine urbs iterum conservata est. Thucyd. VIII, 96.

Hic rebellat populus, naves militibus armatis ornat, concionem habet, qua quadringentos illos expellit potestate eamque defert ad quinque milia, stipendium magistratuum tollitur et ne in posterum solvatur decernitur, instituuntur, qui leges corrigant.

Decernunt etiam Alcibiadem revocare nuntiosque et ad hunc et ad classem Salaminiam mittunt reconciliandi causa. Quum in hac rerum condicione oligarchi male sperare possent, Pisander, Alexicles, alii principes ex oligarchorum partibus Deceleam sese in fidem et tutelam Lacedaemoniorum contulerunt. cf. Xenoph. Hellen. I, 7, 28. Antiphon et Archeptolemus a

[13]) cf. Thucyd. VIII, 95. Diod. XIII, 47.

Theramene, principe eius oligarchorum partis, quae ficte tantum in populi partes transgressa erat, accusati sunt morteque multati. cf. Lys. c. Eratosth. §. 67. Tali modo Athenis sanior modestiorque pars populi assecuta esse videbatur potestatem, quae tamen haud ita multo post rursus in manibus erat plebis.[14])

Videmus igitur, quamquam iam prius, illo tamen tempore, quod modo breviter adumbravimus, vel maxime Athenis inter se obluctatas esse duas partes, et eos, qui rem publicam eam esse volebant, in qua per populum agerentur et essent in populi potestate omnia (δημοκρατίαν), et optimates (ἀριστοκρατίαν).

Sed inimicitiae venerunt ad summum, quum duae illae partes degenerarent et in peius verterentur, ita, ut alii plebis imperium i. e rem publicam, in qua multitudo plurimum posset omniaque eius arbitrio regerentur (ὀχλοκρατίαν), alii paucorum potestatem i. e. rem publicam, quae in paucorum ius ac ditionem concessisset (ὀλιγαρχίαν), vellent esse. Quae inimicitiae et discordiae, tantum aberat, ut non singulis nec magis rei publicae universae saluti, ut maximo incommodo essent patriamque in locum perducerent praecipitem. Qui vera erga patriam caritate viget, de condicione eius ac statu quin laboret facere, non potest, praesertim quum eam factionibus discindi videat, sed omni ope atque opera, qua potest, enitetur, ut retrahatur ab interitu. Et hoc Euripides Ione fabula nisus est. Numquam sane eum munere rei publicae functum esse nec bello Peloponnesiaco neque antea scimus, sed tamen, quod mutarentur Athenis ac miscerentur omnia atque ita res adversae opprimerent patriam et everterent, aegre ferebat et graviter. Indignationem convertebat in primis in multitudinis

[14]) cf. Thucyd. VIII, 97—98,
Rospatt: „Die politischen Parteien Griechenlands, p. 63—87."

imperium (ὀχλοκρατίαν), in demagogos [15]) et paucorum potentiam (ὀλιγαρχίαν). Magno odio ei fuisse Spartam, optimatium civitatem, ostendunt Supplices, Andromache et Heraclidae fabulae, ut iam Boeckhius (de graec. trag. princ. c. 15) demonstravit.

Odium autem eius ortum est ex eo, quod Spartanae formam rei publicae Atheniensibus, Ionicae genti, nequaquam aptam esse putabat. Quam ob rem sese Spartanos eiusque reipublicae formam in odium invidiamque vocare Atheniensibus non satis habebat, sed etiam cives exemplis e patria antiquitate petitis, in primis Ione et Erechtheo, ad rei publicae suae amorem inflammare studebat. Lycurgus orator eum omnino ut bonum poëtam, maxime autem ob hanc ipsam causam laude dignum habet. Dicit enim c. Leocr. p. 160 §. 100: *διὸ καὶ δικαίως ἄν τις Εὐριπίδην ἐπαινέσειεν, ὅτι τά τε ἄλλα ὢν ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ τοῦτον τὸν μῦθον προείλετο ποιῆσαι, ἡγούμενος κάλλιστον ἂν γενέσθαι τοῖς πολίταις παράδειγμα τὰς ἐκείνων πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέποντας καί θεωροῦντας συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὸ τὴν πατρίδα φιλεῖν.*“ Haec verba, quae Lycurgus de Erechtheo Euripideo protulit, suo iure etiam de Ione dici possunt. Et Iacobsius (Nachtrag V, 409): „Ueberhaupt aber hat wohl nicht leicht ein tragischer Dichter das subiektive Interesse seines Vaterlandes und des Nationalstolzes so oft und so offenbar dem objektiven Interesse der Kunst beigefügt, und demselben bald in der Wahl des Stoffes, bald in der Einrichtung der Handlung, bald in

[15]) cf. Orest. 900 sqq.

ἀνίσταται
ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων, θράσει
θορύβῳ τε πίσυνος, κἀμαθεῖ παῤῥησίᾳ,
πιθανὸς ἔτ᾽ ἀστοὺς περιβαλεῖν κακῷ τινι.
Ὅταν γαρ ἡδὺς τοῖς λόγοις φρονῶν κακῶς,
πείθῃ τὸ πλῆθος, τῇ πόλει κακὸν μέγα.

cf. Ion. vv. 832 sqq: οἴμοι, κακούργους ὡς ἀεὶ στυγῶ — οἳ συντιθέντες τἄδικ᾽ εἶτα μηχανὰς — κοσμοῦσι.

einzelnen gelegentlichen Abschweifungen und Tiraden gehuldigt. Die Flehenden, der Ion und die Herakliden sind einzig und allein diesem Zwecke gewidmet.“

Quod ad illud „das subiektive Interesse seines Vaterlandes“ attinet, hoc Ione fabula est, ut Athenas ea rei publicae forma, qua ab interitu servari et ad felicem condicionem possit perduci, regi velit. In universum vero docere vult, quod iam supra proposuimus: „optimam saluberrimamque rei publicae formam esse eam, quae in *αὐτοχθονίᾳ* quam vocant, posita excolatur.“ Hanc potissimum sententiam Euripidei Ionis summam esse, indicatur et probatur ipsius tragoediae compositione.

§. 5.

Sententia proposita ex fabula ipsa probatur.

1. Primum argumentum sententiae meae ex eo sumo, quod per totam fabulam odium invidiaque omnis externi, in primis advenarum apparet. Videamus singula.

Post prologum Ionis chorique canticum ille quum e Creusa quaerens, quae sit, qua patria, eam Creusam Erechthei filiam, Atheniensem esse comperit, sciscitatur, quis eius sit maritus. Fatetur Creusa, non civi Atheniensi, sed peregrino (v. 290 *ἐπακτός*) sese nupsisse. Mirum hoc videtur Ioni miransque quaerit: quomodo id factum sit; et miratur iterum (vix enim credere posse videtur), Xuthum peregrinum (ξένος), quamquam auxilium tulerat, virginem indigenam uxorem duxisse (vv. 290—298).

Interea quum Xuthus e Trophonii sacro Creusam et Ionem in Apollinis templo colloquentes invenit deumque consuluit, ac deinde Ionem ut filium suum osculari amplectique cupit, hic ira odioque externi impletus compellat eum v. 520:

εὖ φρονεῖς μέν; ἤ σ᾽ ἔμηνε θεοῦ τις, ὦ ξένε, βλάβη;

Persuasum tandem sibi habens, se Xuthi esse filium, ample-

ctitur quidem laetus patrem; sed ab hoc invitatus, ut cum ipso Athenas peteret ibique imperium capesseret, in terram defixos habet oculos et tacet. Fatetur deinde, cur patri obsequi nolit, praeclaro sermone (vv. 585—647). Dubitare enim se, inquit, Athenas nobiles, indigenas neque aliunde adductum genus sese conferre utpote patre inquilino natum ipsumque nothum v. 592: πατρός τ᾽ ἐπακτοῦ καὐτὸς ὢν νοθαγενής, hoc sibi periculosum esse adversus potentiores et inferiores, nec minus adversus mulierem liberos non habentem; nihil sese habere beatitudinis, quod in posterum perpetuo magnoque metu vitam transigeret. Patri tandem obsequi paratus Ion hoc expetit, ut mulier, quae se pepererit, Atheniensis sit (v. 671); aliter enim sese manere externum (v. 673), nomine tantum fore civem, ideoque utpote servum non habere loquendi facultatem.

Chorus, qui aderat Xutho Ionique colloquentibus, interrogatus a Creusa, quodnam maritus de prole oraculum esset adeptus, respondet, numquam eam liberos in ulnas capturam neque uberibus suis esse applicaturam. Quid Creusa? Luget et mortem sibi imprecatur. Cur hoc? Certe non ob aliam causam, quam quod sobolem non habeat ad regnum Atheniensium suscipiendum, sed quod externus aliquis in posterum sceptrum teneat. Vehementior eius fit luctus, ubi maritum audit filium iam iuvenem accepisse (v. v. 776. 782. 789—791); hoc non sine causa; nam filius Xuthi utpote peregrini, cum alia, atque Creusa, genitus non solum non est verus Erechthida, sed ex omni parte externus.

Paedagogus (vv. 808), qui se et Creusam proditos esse dicit fraudeque Erechthei domo eiici a Xutho, qui, quum duxerit eam, peregrinus Athenas veniens (v. 813 ξένος ἐπεισελθὼν πόλιν), Ionique servae filio (v. 819) tempore opportuno imperium Atheniensium tradere decreverit (vv. 829. 837—38), Creusam libenter paratam invenit ad puerum illum tollendum, ne

dominus domus Erechthidarum futurus nobiles veniat Athenas (vv. 1035—38). Quum vero consilium Ionis occidendi haud feliciter eveniat, sed hic Creusam, quae ad aram sedet, impiam (οὐκ εὐσεβῆς) dicat, illa facti sui rationem ei probat, quod hostis sit domus suae (v. 1291: ἔκτεινά σ᾽ ὄντα πολέμιον δόμοις ἐμοῖς); et ne ipsa interficeretur neve Erechthidarum sceptrum in peregrini veniret manus (vv. 1293. 1295. 1301), impedire sese putat debuisse; quin etiam ne paterna quidem hereditate eum accipere posse Atheniensium imperium, quoniam Xutho nihil sit rei cum Athenis; hunc ipsum nihil esse, nisi auxiliatorem, non vero dominum urbis (vv. 1297. 1299). Tandem quod Ion Erechthidarum domum appetit, Creusa rapinam dicit. (v. 1303.)

2. Non vero odium invidiaque omnis externi solum, sed etiam laus et gloria, quae Athenis, indigenae, in primis Erechthidarum domui per totam fabulam tribuitur, propositam comprobat sententiam. Satis mihi hac in re videtur esse, eos, qui tale quid continent, locos breviter tantum commemorare.

V. V. 237 et 38 praedicat Ion Creusae generositatem, v. 262 Athenas dicit nobiles Erechtheumque patrem generosum, cuius genitorem avum illa e terra ortum a Minervaque sublatum filiabus Cecropis servandum enarrat traditum esse. Non minus laudis Athenis impertitur eo, quod Erechtheus pro patria filias praeter Creusam victimas mactasse dicitur (v. 278), et Apollo μακρὰς πέτρας in septentrionem Athenarum honorat (v. 285), et inclytae Athenae indigenae (αὐτόχθονες) sunt (v. 589). Ut supra Ion, sic (vv. 735—737) paedagogus Creusam dignos claris maioribus mores servare neque antiquos maiores aborigines dedecorare praedicat. v. 1000. Erichthonium primum progenitorem emisit tellus, cui Minerva suscepto duas dat guttas sanguinis, quarum altera mortifera est, curat morbos altera.

Quum Ion Creusam, quae eum interficere studebat, eadem sorte uti velit, Pythia prohibet, quominus id perficiat, ne in illius patriam Athenas impurus veniat. (v. 1333.)

Ea quoque, quae continentur cistula a Pythia allata, laude Athenas extollunt: Gorgon in medio staminis peplorum; deinde aurei serpentes, quibus Minerva ipsa Erichthonium parvulum ornaverat, quibusque omnes nobilium, praesertim Erechthidarum infantes involutos nutriri iussit.

His enim rebus significatur, eos esse in tutela Minervae. Non minus vero laudibus effert Athenas corona ex oleae ramis, quam Minerva ipsa in arce Athenarum ediderat.

Pythia illa cistula, qua olim Ionem puerum expositum sustulerat, eum veram matrem quaerere iubet. Mox inventa est Creusa mater; gaudet haec, quod non amplius sit sine liberis Erechtheusque repubescat, domusque terrigena dominum habeat (vv. 1463—67). Ion, qui etiam Xuthum patrem gaudii participem esse vult, ubi verum patrem Apollinem deum esse comperit, hoc sibi gloriosum ac faustum dicit, Creusam matrem carum inventum genusque suum non reprehendendum (vv. 1518—20). Sed dubitatio subit Ionem, obtestaturque Creusa Minervam, quod e deo, non ex mortali genuerit eum (vv. 1528—31); donari eum tantum a deo Xutho, ut regnum Athenarum eo magis possit tueri (1542). Tunc denuo de Creusae fide dubitanti oraculumque sese consulturum de vero suo patre minanti puero Minerva ab Apolline missa apparet eique Athenisque amicam sese profitetur (1554), et quae Creusa antea dixit, affirmat; ideoque monet Creusam, ut Athenas petat ibique filio utpote Erechthidae digno imperium concedat: ita enim imperium Athenarum penes Erechthidas esse mansurum (vv. 1571—74). Vaticinatur futuram gloriam Ionis eiusque posterorum; nomen Ionium clarissimum fore, posteros auctores tribuum peculiarium terrae Atticae et sparsum iri per totam Graeciam, per Cyclades, per oram Atticae et

Asiae oppositam (vv. 1575—1594). Fidem habet dictis Minervae Ion petitque cum Creusa, quibus se Minerva comitem praebet, Athenas, ut antiquam Erechthidarum potestatem accipiat (1618).

3. Nunc inquiratur necesse est, utrum chori carmina cum sententia proposita conveniant, an fortasse aliena ab ea sint. Hoc sane concedendum est, multis in Euripidis tragoediis carmina non satis arcte cum ipsa fabula cohaerere, ut de nonnullis ei, qui carmina alius tragoediae poëtae alii inseri salva fabulae sententia posse contendit,[16]) non iniuria possimus adstipulari. Quod quidem de hac tragoedia dici nequit; sed tantum abest, ut non solum cohaereant, ut optime carmina conveniant cum sententia.

Primo enim carmine (v. v. 184—237) chorus puellarum Atticarum, Creusam comitantium, mirans, priusquam domina venit, gaudet, quod non solum Athenis, sed etiam Delphis in templo Apollinis, quem de liberis consulturi Xuthus et Creusa veniunt, vestibula sunt pulchraeque picturae; gaudet, quod etiam Palladem, Athenarum tutelarem deam videat, quaerit ex Ione, verene sit, ut audierit, Apollinis templum medius terrae umbilicus. Quum deinde Xuthus uxorem cum Ione colloquentem invenit et adhortatur, ut lauris redimat altaria preceturque a diis, responsum prole faustum ut e templo referat, ipse vero oraculum adit, quid chorus? Carminis secundi stropha (v. v. 452—508) patre consulente votis invocat variis epithetis Minervam, deam popularem, ut Delphos ad oraculum veniat et hic

[16]) cf. Pauly Realencyclop. p. 296: „Was den Euripideischen Chor betrifft, so hat schon Aristot. poët. c. 18 richtig bemerkt, dass er weniger als Sophocles Sorge getragen habe, seine Gesänge mit der Handlung des Stückes in Verbindung zu bringen. Und in der That haben die Stasima öfters nur eine sehr entfernte Beziehung zu den Begebenheiten der Tragoedie. Man könnte sie bisweilen aus dem einen Stück wegnehmen und ohne merklichen Uebelstand in ein anderes setzen, so dass sie ganz den Charakter der von Agathon eingeführten ἐμβόλιμα haben.“

una cum Diana preces ad Apollinem effundat: „ne domum Erechthidarum sine sobole interire patiatur"; antistropha vero felicitatem celebrat parentum, qui liberos habent, ut hi aliquando dominium ex hereditate parentum suis liberis relinquant, ita ut penes familiam opes patriae et atavae maneant, et defensores sint in angustiis fortunae adversae, participesque fortunae secundae; profitetur odium vitae orbae et praefert prolis fecunditatem summis opibus.[17] — Invenit Xuthus Ionem filium et chorus (vv. 566 seqq.) exsultat de sobole illius desiderata optatque Creusam eius participem. — Carminis quod sequitur (vv. 676—724) stropha puellae inter se miseriam Creusae praesagiunt, dolent eam prole a Xutho esse orbatam neque confidunt filio alio sanguine orto; antistropha deliberantes, utrum Xuthi dolos dominae prodant necne, facile, quia illum felicem, hanc autem miseram ac deceptam intellegunt, permoventur ad felicitatem dominae promovendam. Effundunt indignationem Xuthi ut qui ipse peregrinus in Erechtheam domum profectus sit, desinuntque in novi pueri exsecrationibus. Addunt epodo vota pia, ne Xuthi puer novus et subdilicius unquam Athenas veniat, atque perpetuum precantur imperium Erechthidis. — Xuthi dolus a choro Creusae eiusque paedagogo nuntiatur. Dum hic veneficium suum paraturus Ionis comissationibus interest, chorus (vv. 1048—1105) hymnum canit, quo felicem successum optat facinori Creusae atque senis, et quidem priore stropha Proserpinam invocat, ut venenum Gorgoneum exitu carere haud patiatur, sed puerum, qui regnum affectet Athenarum, interficiat, ideoque ut huius urbis imperium penes Erechthidas maneat; priore antistropha monet chorus, si spes frustraretur Creusam et Ion dolum effugeret, nihil ipsi dominae

[17]) Hartung. hoc de carmine sic dicit: „Hoc carmen tum rebus grave tum verbis egregie ornatum est et ad explicandam rerum condicionem commemoratione periculi, in quo Erechtheidarum stirps versatur, plurimum confert. cf. Eurip. restit. I. p. 483.

superesse, nisi ut ipsa sibi mortem consciscat; neutiquam enim conspectum regis alieni eam esse laturam. Altera autem stropha invehit in Bacchum, quem Ionis vitae auctorem dicit, alteraque antistropha miseriam Creusae conquestus infelicem feminarum dolet amorem, et virorum iniuste facta increpat.

4. Propositam sententiam meam ut comprobem, praeter odium omnis externi, in primis externi regis sive imperatoris, et laudem Athenarum, in primis Erechtheae domus ibi regnantis aliquid summi momenti etiam addiderim. Haec enim est tutela deorum, qua Ion, verus atque germanus Erechthida, triplici periculo servatus est: in Apollinis antro, ad templi Delphici limina et in comissationibus. Ad quidnam eum tuebantur dii? Sed prius ad hanc quaestionem respondendum est, cur Creusam cum marito poëta sese Delphos conferre faciat? Ut ab Apolline prolem precentur, ne quando peregrinus, sed ut semetipsis natus filius, itaque Erechthida regnum capessat Atheniensium. Quia vero iam e Creusa natus est filius, hic in hunc finem a diis servatus est. Dii servant Ionem, dii monent et permovent, ut Athenas petat, ubi futuram ei felicitatem et gloriam profitentur.

Praeterea, ut omnino germanus ac verus Erechthida Athenis regnet, ne Xuthum quidem, utpote virum externum, quamquam Creusae maritum, patrem naturalem, sed deum Apollinem facit esse Euripides.

5. Denique quatuor veteres tribus Atheniensium a Minerva ipsa nominatim laudantur; quam rem si qui putent temere a poëta commemorari, illi quidem in magno opinionis errore versari existimandi sunt. Etenim Euripides eo, quod posteri Ionis, Geleontes, Hopletes, Argades, Aegicores per totam Graeciam et partem Asiae diffundi et patescere dicuntur, procul dubio nihil aliud significare vult, nisi eo tempore, quo divisio illa in quatuor tribus esset in Attica, Atheniensium fuisse rem publicam optime constitutam.

De his tribubus exponendis sane dissentiunt scriptores veteres et recentiores.[18]) Sed quidquid de iis sentiunt, hoc certum est, et illas quatuor tribus viguisse et diversam populi distributionem aliquid valere ad rei publicae formam, constituendam atque ita aut utilitati aut incommodo illi esse.

6. Quodsi ea omnia, quae ad sententiam propositam firmandam exposuimus, comprehendimus, sic fere statuendum est: Euripides Creusam Erechthei indigenae filiam, una cum Xutho marito, quia iam per longum tempus liberis carent, Delphos se ad progeniem ab Apolline exorandam conferre facit, ne Atheniensium imperium cuiquam alii, nisi Erechthidarum proli tradendum sit. Quare per totam fabulam odium cernimus et invidiam omnis peregrini, laudem Athenarnm votumque apparere accipiendi Erechthidam, ab indigenis ortum, qui imperium suscipiat. Inveniunt Delphis verum Erechthidam Ionem, olim expositum, e Creusa genitum non peregrino patre, sed deo Apolline. Quandoquidem Ion, qui Athenarum rex futurus sit, ab indigena ortus est, Athenienses vero ab illo orti esse dicuntur, clare per Euripidem apparet, Athenienses genuinos esse Iones; et quum Apollo Ionis sit pater, nec mortalis quidem vir, nedum Xuthus peregrinus, vel divinae esse stirpis Athenienses.

Ionem, Erechthidam verum stirpisque divinae dii tuiti sunt, in primis Apollo et Minerva, ut Athenis regnaret. Dii tuentur et tuebuntur quatuor filios Ionis, qui populum in quatuor tribus distribuerunt hisque tribubus rei publicae nomen dederunt, atque ita probant dii et volunt eam rei publicae formam, quae in illis quatuor veteribus tribubus posita est.

Quocirca recte me iudicasse equidem puto, Euripidem hac tragoedia, eam rei publicae formam quae in *αὐτοχθονίᾳ*, quam

---

[18]) cf. Herod. 5, 66. Steph. Byz. 5. s. v. Αἰγικορεῖς. Plutarch. Solon. vol. I. p. 199. Strabo 8 p. 588 ed. Iansson. Pollux. Onom. 8, 9, 31. Wachsmuth Hellen. Alterthumsk. I. §. 43. Schoemann Griech. Alterth. Bd. I. p. 320--21. Herm. praef. Ion. XXI—XXX.

vocant, posita excoleretur, optimam esse et saluberrimam, et quidem Atheniensium rei publicae formam in veteribus quatuor tribubus positam et excultam, ostendere voluisse.

7. Quodsi autem quaeris, quamnam Euripides Athenis optimam saluberrimamque putet rei publicae formam quamque esse velit, respondendum est: moderatam populi potestatem omnium rerum. Nam quum Ionem Athenis regnare velit, certe formam rei publicae Ionicaé genti aptam solam Atheniensibus saluti esse putat; eamque formam esse populi potestatem (*δημοκρατίαν*) constat. Usque ad Solonem fundamenta naturae ac formae rei publicae Atheniensium posita erant in quatuor tribubus (*φυλαῖς*) quae ab Ione institutae esse dicuntur cf. Herod. V. 66:

> *μετὰ δὲ τετραφύλους ἐόντας Ἀθηναίους δεκαφύλους (ὁ Κλεισθένης) ἐποίησε τῶν Ἴωνος παίδων Γελέοντος καὶ Αἰγικόρεος καὶ Ἀργάδεω καὶ Ὅπλητος ἀπαλλάξας τὰς ἐπωνυμίας.*

cf. Pollux. VIII, 109. Plut. Solon. 23. Nomina harum quatuor tribuum sunt:

> *Γελέοντες* (al. lect. *Τελέοντες, Γεδέοντες*), *Ὅπλητες, Αἰγικορεῖς, Ἀργαδεῖς.*

Solon populum quidem ex opibus in quatuor divisit classes, sed illas tamen quatuor tribus vigere sinebat, ita ut forma rei publicae ab ipso orta in his quasi fundamento constituta esse dici possit. Quamquam secundum hanc rei publicae formam homines modice locupletes in omnibus publicis negotiis praevalebant, popularis tamen erat eius natura et indoles, quia unumquemque civem legum condendarum, magistratuum creandorum et probandorum, legum iudiciis exsequendarum participem fecit. Quae rei publicae forma omnibus civibus erat aequa et iusta; quam si Athenienses servassent, salutem eis attulisset. In primis vero illi rei publicae formae atque ita ipsis Atheniensibus nocuit Clisthenes, qui sublatis illis veteribus tribubus quatuor populum in decem novas, in quas multos peregrinos assumpsit, tribus

divisit. cf. Herod. V. 66 supra loc. iam laudat., Aristot. pol. III, 1, 10: *πολλοὺς γὰρ ἐφυλέτευσε (Κλεισθένης) ξένους καὶ δούλους μετοίκους.* Auctis tribubus assumptisque in eas peregrinis et servis metoecis facilius degenerare potuit populi potestas, et re vera factum est ita, ut moderata, quae vocatur, populi potestas desineret, atque ochlocratia et oligarchia exsisteret, quae utraque Atheniensibus valde nocebat, ut supra vidimus §. 4. Euripidem hanc moderatam populi potestatem optimam aptamque Atticae sive Ionicae rei publicae formam habuisse praeterea profitetur Suppl. 240 sqq.

Τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι,
ἀνωφελεῖς τε, πλειόνων τ'ἐρῶσ' ἀεί.
Οἱ δ' οὐκ ἔχοντες, καὶ σπανίζοντες βίου,
δεινοί, νέμοντες τῷ φθόνῳ πλεῖον μέρος
═
Τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ'ν μέσῳ σώζει πόλεις
Κόσμον φυλάττουσ', ὅντιν'ἂν τάξῃ πόλις.

cf. Plisthen. fr. I. (ed. Musgrave):

Δήμῳ δὲ μήτε πᾶν ἀναρτήσῃς κράτος
μήτ' αὖ κακώσῃς πλοῦτον ἔντιμον τιθείς
μηδ'ἄνδρα δήμῳ πιστὸν ἐκβάλῃς ποτέ,
μηδ'αὖξε καιροῦ μεῖζον· οὐ γὰρ ἀσφαλές.
Μή σοι τύραννος λαμπρὸς ἐξ ἀστοῦ φανῇ.

cf. Erysth. fr. 6:

Νῦν δ'ἂν τις οἴκοι πλουσίαν ἔχῃ φάτνην,
Πρῶτος γέγραπται τῶν κακιόνων κράτει,
Τὰ δ'ἔργ' ἐλάσσω χρημάτων νομίζομεν.

Ex Aeol. fr. 6:

Δοκεῖτ' ἂν οἰκεῖν γαῖαν, εἰ πένης ἅπας
Λαὸς πολιτεύοιτο πλουσίων ἄτερ;
οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά.
Ἀλλ'ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς.
Ἃ μὴ γὰρ ἔστι τῷ πένηθ', ὁ πλούσιος

Δίδωσιν· ἃ δ'οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτήμεθα,
Τοῖσιν πένησι χρώμενοι τιμώμεθα.

Quae quum animo menteque perlustremus atque ad tragoediam ipsam respiciamus, clarum perspicuumque nobis videtur esse, quare Euripides deos patrios, instituta patria et quae ad urbis patriae famam augendam pertineant, tanta laude prosecutus sit, atque eo ipso tempore, quo pestis perniciesque urbi patriae maxima immineret, gloriam eius fabula celebraverit.

PARS II.

De fabula tragoediaeque compositae arte.

§. 1.

De fabula huius tragoediae.

Priusquam, qua arte argumentum fabulae tractaverit poëta, exponam, dicendum mihi aliquid erit de fabula huius tragoediae; antea vero hoc praemittendum et praemonendum.

Hellenis filii dicuntur fuisse Dorus, Xuthus, Aeolus (cf. Apollod. biblioth. I. 7. 3). Xuthum Apollodorus Peloponnesum obtinuisse ait, alii in Atticam, quae a Pelasgis habitata est antiquissima popularium memoria (cf. Strabo V, p. 336 B.), confugisse ibique Tetrapolim condidisse narrant.[1] Post eum Ionis magna in Attica fuit auctoritas dictaque ipsa ab eo Ionia

[1]) cf. Pausan. VII, 1. Strabo VIII, 7, p. 587.

et incolae Iones.[2]) Inde profugi Iones obtinuere Aegialeam, postea Achaiam dictam; donec expulsi inde ab Achaeis rediere in Atticam (cf. Paus. l. c.), ubi cum Pelasgis coaluere.[3]) Xuthus connubio sibi iunxit Erechthei, Atticae regis, filiam, e qua Ionem et Achaeum progenuit.[4]) Apollodorus enim reges Atticae, quos memorare necesse est, enumerat hos: Cranaum, Amphictyonem, quem Erichthonius, qui filius putabatur aut Vulcani et Atthidis, Cranai filiae, aut Vulcani et Minervae, per Minervam vero Terrae filius (*γηγενής*) tamquam (*αὐτόχθων*[5]) Erichthonio mortuo Pandionem regem, cui patri Erechtheus in regno succedit;[6]) hic vero uxorem duxit Praxitheam, cum eaque natu minimam genuit filiam Creusam, Xuthi uxorem.

Quo ex fonte fabulam, quam in „Ione" tractavit, Euripides hauserit, nescimus. Memorandum hoc loco est, veteres gentis auctores aut a diis natos aut indigenas (*αὐτόχθονας*), terra natos putasse. Quae persuasio vigebat in primis Athenis. Num vero hae Atticae fabulae antiquitatem iam tulerint, manifestum quidem non est et apertum; sed veri simillimum videtur, Atthidem, Theseidem, carmina cyclicorum tales fabulas comprehendere debuisse. Itemque veri simile est, has fabulas vetere fama acceptas, quae primo in ore hominum versabantur, aut ex illis carminibus cyclicorum collegisse logographos, e quibus praecipue laudandi sunt Cadmus Milesius (*Κτίσις Μιλήτου καὶ τῆς ὅλης Ἰωνίας*), Hellanicus (*Ἀτθίς*), Pherecydes Lerius (*Ἀρχαιολογίαι* sive *ἱστορίαι*, in primis fabulas Atticas continentes).

Quanam vero forma haec fabula in Attica usa sit, statui nequit. Ex illis, quos antea laudavimus, locis Pausaniae, Strabonis, Apollodori, et ex iis, quos infra memorabimus, Euripidis

[2]) cf. Strab. l. c. Paus. l. c. add. Herod. V, 66, schol. Il. ν. 685.
[3]) cf. Herod. I, 56, II, 51.
[4]) cf. Apollod. III, 15, 3. Strabo VIII, 7, p. 587. Paus. VII, 1.
[5]) cf. Apollod. III, 14, 6. Iliad. II, 548. Eurip. Ion. 20, 21, 267.
[6]) cf. Apollod. III, 14, 7. 15, 1.

et Platonis apparet duas exstitisse formas fabulae, alteram, quae Ionem filium Xuthi et Creusae, alteram, quae eum filium huius et Apollinis facit. Hanc alteram fabulae formam, qua Apollo Ionis pater fingitur, Euripides ei, de qua agimus, tragoediae intexuit. Nisi iam erat haec altera fabulae forma, Euripides et ex ea, quae conceditur poëtis, licentia, et feliciter ad id, quod spectabat, consequendum eam invenit. Quare tantum aberat, ut offenderet spectatores, quum nova et inaudita proferret, ut propter Atheniensium ambitionem ipsis probaretur. Accedit eodem, quod hac ipsa fabulae forma Apollo ille, qui Ionum deus patrius iam inde ab antiquissimis temporibus colebatur, re vera *πατρῷος* constitutus nominatusque est. E Platonis Euthydemo, qui liber aequalis fere est huic tragoediae (cf. edit. Stallbaum. p. 64), conspici potest, Athenienses cum Ionibus Apollinem tamquam stirpis suae auctorem iam tum veneratos esse. Quippe legimus in Euthydem. c. 28, 302 D:

„*ἀλλὰ Ἀπόλλων πατρῷος διὰ τὴν τοῦ Ἴωνος γένεσιν.*"

Sed eandem fabulam. cui Euripides Ionem tragoediam superstruxit, Sophocles quoque tragoedia aliqua tractavit. Brunckius, cui Wagnerus assentitur, Sophoclem hoc in „Creusa" fecisse putat; Schneidewinus (ad Orion. Antholog. p. 52) vero eidem fabulae duas hunc superstruxisse censet tragoedias: „Ionem" et „Creusam." Brunckius de fabula „*Κρέουσα*" haec scribit: „Creusae memorantur plurimae, e quibus quamnam in hoc dramate exhibuerit Sophocles, e superstitibus haud facile coniicere est. Probabile est argumentum ex Attica historia petitum fuisse Creusamque intellego filiam, Xutho nuptam, cuius in Euripidis Ione sunt partes." Audiamus, quid Wagnerus iure mihi ad illa Brunckii verba et contra Schneidewinum dixisse videatur. „Quae si recte, ait Wagnerus[7]), a viro doctissimo coniecta sunt, fabulae argumentum ab illo non multum

[7]) cf. Wagner. poëtar. tragic. graecor. fragm. vol. I, p. 301.

discrepuit, quod Euripides in Ione tractavit, et ad eam iure referuntur, quae e Sophoclis Ione citantur fragmenta (I—III cf. fragm. 509). Nam quae Schneidewinus l. c. contra disputavit haec scribens: „quum Sophocles binos docuerit Thyestas, binos (?) Hercules, binos Alcmaeones Euripides, binas Melanippas, cur de Sophocleae venae ubertate tantopere detrahamus, ut ne diversarum quidem personarum fata, quamquam arte ligatarum, diversis fabulis conscribendis ipsi ansam materiamque dedisse suspicemur?" vereor ut cuiquam persuadeant, ut ad eius sententiam accedat. In istis enim, quas commemoravit, fabulis poëtae tali usi sunt mytho, qualem facile in duas fabulas dispertiri poterant: sed vellem exposuisset Schneidewinus, quid continere potuisset Sophoclis Creusa, quid Ion, si diversa inter se fuissent dramata? Quotquot novimus Creusas, praeter Erechthei filiam vix alia argumentum tragoediae praebere potuit; Ionem autem ne novimus quidem ullum alium praeter Creusae filium. Quae quum ita sint, utriusque historiam, ut ab Euripide in Ione, ita a Sophocle in Creusa, coniunctim tractatam esse persuasissimum mihi est. Ac bene fragmenta huic argumento convenire docuit Welckerus, quamquam ipsam rationem, qua poëta fabulam conformaverit, propter exiguum reliquiarum numerum explicare nec ipse potuit nec nos possumus."

Quamquam pauca tantum fragmenta, quae ex ea Sophoclis, de qua agitur, tragoedia citantur, et e quibus nihil certi cognoscere possumus, exstant, coniicere tamen nobis licet, multis quidem in rebus Sophoclem in sua tragoedia cum Euripidis dramate convenisse, hunc tamen multa quoque, ut eius mos est, innovasse.

Quanam in re convenerit, qua discrepuerit, recte mihi coniicere videtur Ahrensius V. D., qui haec scribit[8]): „Ac nescio

[8]) cf. edit. apud Firmin Didot. p. 344 sub voce „Creusa."

an coitus Xuthi cum puella Delphica Euripidi soli vindicandus sit, quia fraus illa est eiusmodi, ut a Sophocle abhorreat; deinde alio modo Ionem a Xutho agnitum esse censeo, quam est apud Euripidem et postremo omnia indicata Xutho de ortu Ionis. Facile enim quis inducatur ut Euripidem omnia, quae de ortu Ionis memorat, commentum ex ipsius ingenio esse credat; at tanta fuit in his rebus vanitas Atheniensium, ut Sophocles etiam illa praetulisse videatur, quae ad divinum Ionis ortum in fabulis narrata sunt. Ac sunt quaedam inter fragmenta, quibus illa fiant probabiliora."

Si vero forte quis quaerat num probari possit, hoc potissimum argumentum sibi delegisse poëtam, fateor me omnino iustissimae hac de re sententiae Bernhardyi[9]) assentiri qui praeclare dicit: „Der Dichter verherrlicht den heimischen Mythos und begründet den stolzen Glauben Athens, dass der Stammvater der Ionier, zugleich der Urheber der Stammverfassung Attica's aus unvermischtem Geblüt der alten attischen Herrscher entsprossen, nicht der Sohn eines eingebürgerten Fremden war. Diese Spitze des Ganzen lässt einigermassen den anstössigen Gehalt der Fabel vergessen, die Täuschung der Creusa und des Xuthus etc."

§. 2.

Quomodo poëta argumentum tragoediae tractaverit, exponitur.

1. Si inquirimus, quomodo poëta singula huius tragoediae instruxerit atque adornaverit, ab eo unam actionem nobis propositam esse intellegimus. Quae re laudem meretur prae aliis compluribus fabulis, in quibus hanc actionis, quam vocant unitatem eum neglexisse atque laesisse scimus, ita quidem, ut

[9]) cf. Grundriss der griech. Lit. p. 430.

nonnullae duas vel plures habeant actiones, ut Hercules furens, Hecuba, Supplices, Andromacha, Troades, Phoenissae, aliae. Videndum igitur est: qualis sit unitas huius tragoediae et quomodo hanc poëta instituerit. Actio haec est: „Erechthidarum domui stirps deest ad imperium suscipiendum. Xutho Apollo Ionem, iam priore tempore a Creusa partum et expositum, filium eius esse respondet, et Creusam illum filium olim expositum agnoscere facit; hic monente Minerva dea verum suum patrem Apollinem esse ut comperit, parentes sequitur Athenas, ubi regnum ineat.“ Sed ut actionem fabulae suae superstrueret poëta eamque ad certam revocaret unitatem, rem suam sic instituit: „Xuthus una cum uxore Creusa, quae ante coniugium ex Apolline clandestino amore parentibus insciis Ionem pepererat atque exposuerat ad oraculum Delphicum sese confert, ut de progenie nanciscenda consulant. Xutho tradit Apollo filium illum Ionem, quem olim e Creusa genuerat, quique adultus iam minister erat templi Delphici. Consiliantur inter se Xuthus et novus filius, quomodo hic uxore consentiente imperium inire possit. Priusquam vero Athenas petunt, ut celebrent Ionis natalicia, Parnassum adscendunt. Interea Creusa postquam hanc rem e choro, qui Xuthi et Ionis adfuerat colloquio, audivit, novum mariti sui filium e medio tolli dolo vult; sed consilium, quod ceperunt, ad nihil redigitur, et Creusa a senatu Delphico capitis damnatur. Ioni, qui illam quaerit et persequitur, supplicem vero ad aram fugientem laedere non potest, Pythia affert cistulam, in qua olim eum expositum invenerat. Qua cistula agnita Creusa se veram esse Ionis matrem manifeste declarat eiusque patrem profitetur Apollinem. Dubitat vero hac de re puer religiosus, sed Minerva ex machina accedens dubitationem ei eximit, dum Apollinis mandatu hunc patrem Ionis, Creusam matrem esse certissime asseverat. Ita Ion, puer expositus, Erechthida, qualem Xuthus et Creusa ab Apolline precaturi erant, a matre agnoscitur; ipse vero, qui iam sese

unquam parentes cogniturum desperaverat, agnoscit eos, quos tantopere desideraverat, et Athenas petit, ut ineat imperium, quod ei utpote Erechthidae tribui aequum ac iustum est.

2. Ut vero laudandus est Euripides, quod unam nobis eamque continuam atque absolutam proposuit actionem, sic ob prologum, quem, ut omnibus suis fabulis, ita etiam huic tragoediae praemisit, vituperandus. Prologorum enim Euripideorum natura et indoles omnibus repugnant legibus artis scenicae. His de prologis diversissime quidem viri doctissimi, ut Eichstaedtius, Iacobsius, Schlegelius, Hermannus, Firnhaberus (cf. Firnhab. in Iahn's Archiv, 1851), Bernhardyus, alii iudicarunt; nemo vero horum doctorum virorum stat ac sentit cum Lessingio, qui non solum tuetur eos ac defendit, sed laudat etiam, eisque artem scenicam perfectiorem factam esse putat. (cf. Hamburg. Dramaturg. I, 48. 49.)

3. Summam laudem Euripidi tribuit Wielandius [10]) ob primam scenam, eamque merito. Hac enim scena, in primis solemni hymno (vv. 82 sqq.), quo Ion sole oriente consuetis precibus prosperum ministerii huius diei eventum sibi et suis exorat, iuvenis herois animum et mores nobis proponere incipit. Quorum quidem summa perfectionis imago, animo nostro et cogitatione concepta, in suo genere fortasse singularis est. Interior enim coniunctio purae, paene puerilis simplicitatis et integritatis cum leni conscientia vel potius cum praesagitione superioris praesenti suo statu et condicione naturae atque indolis vix cogitari potest. Admonet ceteros ministros, ut munere suo rite fungantur; ingreditur ministerium pium, quod ornate extulit poëta, dum templi ministrum sacra instrumenta alloquentem facit; laudat munus suum, denique verrit templum, deterret aves. Causa huius curae iuvenilis erat gratia pro beneficiis ab Apolline diu in ipsum collatis; nam educatum

[10]) cf. Att. Mus. IV, 3, pag. 143—145.

et enutritum se dicit in hoc templo. (vv. 181—183.) Poëta Ionem talem depingendo probat illud, quo is postea haud facile, ut munus suum relinquat, moveri potest. Hymno solemni finito Euripides non temere vestibulum Ionem aliquantulum relinquere facit, sed eo consilio, ut chorus puellarum Atticarum, quae tum primum in scena vestibuli apparent, curiose circumspiciens picturas eius et figuras caelatas cum artis operibus arcis Atticae Erechthidarum comparet mireturque suavi simplicitate, quod etiam extra suam patriam res tam pulchrae ac praeclarae conspiciantur. Quibus rebus perlustratis chorus Ionem alloquitur, petiturus, ut sibi templi penetralia adire liceat, id quod Ion sacris factis eis promittit. Obediunt Ionis monitis puellae, quia reverentur Apollinis legem. Quod Ion etiam de patria puellarum quaerit et de munere peregrinarum mulierum, quid mirum?

Vero temporis momento Creusa, regina ac domina illarum puellarum, accedit, et tunc occurrit colloquio inter Creusam et Ionem pulcherrima scena, quae magnum praebet spectatoribus delectamentum, quia iam per Mercurium necessitudinem Creusae et Ionis norunt. Loquitur enim puer parentum ignarus cum matre sua, quae filium mortuum putat, in cuius, quem nescit se peperisse, questus concinit Creusa. Iam Ion iniuriam a Deo illatam intellegens de maxima similitudine sortis suae et pueri a Creusa memorati, non amplius dubitat. Tantum processit colloquium, ut Creusa Ionem deberet filium expositum agnoscere. Aliquid saltem mihi hac de re reprehendendus videtur poëta, quod ne minimum quidem dubitantem facit reginam, an filium, cuius sors ei cordi est, coram videat. Insisteret actio, quum Creusa de re inhonesta Apollinem consultura Ione auctore in sua sorte acquiescat, nisi forte fortuna Xuthus adveniens motum ei afferret. Prudenter enim Euripides eum prius Lebadiam ire, ut Trophonii oraculum consuleret, fecerat, quia Creusam solam cum Ione esse necesse erat. Aberrat sane a vera tem-

poris ratione; nam Xuthi et Creusae aetate nondum erat oraculum Lebadiae (cf. Paus. 9, 37). Nihil tamen erat, quod extimesceret poëta, ne de tali in temporis ratione peccato a spectatoribus suis vituperaretur, qui omnino temporum rationem, praesertim quum de argumento ex heroum aetate petito agatur, non tam premunt.

Xuthus quum Ioni et Creusae colloquentibus redux a Trophonio intervenit, non in voto felicis responsi sibi acquiescendum, sed potius Deo iubente oraculum ipsum adeundum putat; quapropter cum ministro templi abit, dum Creusa a marito monita lauris redimit altaria et precatur. Exhortatione facta Xuthus abiens non amplius in scena cum Creusa apparet.

Non prorsus excusari potest poëta, quod Ionem, qui paullo ante v. 339: *Φοίβῳ γυνὴ γεγῶσα; μὴ λέγ', ὦ ξένη.* et v. 341: *οὐκ ἔστιν* Creusae dicit. vv. 436 sqq. autem: *νουθετητέος δέ μοι Φοῖβος*, et vv. 444 sqq.:

„εἰ δ' . . . .
δίκας βιαίων δώσετ' ἀνθρώποις γάμων,
σὺ καὶ Ποσειδῶν Ζεύς θ' ὃς οὐρανοῦ κρατεῖ,
ναοὺς τίνοντες ἀδικίας κενώσετε“

prioris rationis severe loquendi iam oblitum facit. Aliquid Aristophaneae levitatis est. Ion ipse sane aliquid excusationis habet. cf. infra. §. 3, 1.

Chori deinde votum laetae progeniei Euripides ornatissime extulit egregieque felicitatem domus liberorum plenae adumbravit: (— v. 508).

4. Pulcherrime et arctissime ea, quae sequuntur, inde a v. 509—v. 725 cohaerent et conveniunt cum antecedentibus. Poëta enim Ionem e choro de Xutho, qui consulturus Deum de progenie abierat, quaerentem fecit. Hic vero statim templo regressus Ionem primo sibi occurrentem ex Apollinis responso ut filium salutat. Suo iure primum respuit Ion salutationem, deinde vero, ubi sibi persuasum est, credit meritoque flagrat

tunc desiderio legitimae matris quoque, et quidem Atheniensis cognoscendae. Quo subito pueri consensu aut ars poëtae laudanda est aut vitium rimandum! Dixerit enim quispiam: „Quia nunc puer patrem agnovit, actio finita iam videri potest.“ Hoc quidem habet aliquid recti. Sed novam sib ipoëta stravisse viam mihi videtur augendi actionis argumentum, dum mox dubium facit Ionem, et bene sibi viam munit ad drama solvendum. Quamquam summam felicitatem ex nova vita Athenis percipiendam puero suo vividis imaginibus ob oculos ponit Xuthi versutia, non tamen statim assentitur, sed dum splendidam regiae fortunae miseriam, frustra laudatam, adumbrat, plura imperii incommoda sibi utpote advenae adversa memorat.

Chorus puellarum, quarum timor ab Euripide egregie est adumbratus, quum post natalicia Ionis celebrata Xuthus Ionem secum Athenas ducere velit, illius dolum prodere dominae decernit desinitque in votis, ne puer subditus Athenas veniat.

5. Non minus ars poëtae laudanda est in sequentibus (vv. 726—1105), licet haec quoque pars tragoediae macula aliqua adspersa sit. Quod sibi chorus proposuit, dolum Xuthi, peregrinum, non Erechthidam ducere Athenas, uxori prodere, re vera facit, quum Creusa paedagogo comite Apollinis responsum e Xutho velit sciscitari. Inde fit, ut Creusa summum suum dolorem exserat. Summa est variatio in his doloris significandi aptissimis verbis. Creusae dolor increscit, ubi chorus narrat, Xuthi puerum iam natum, adultum iuvenem esse; vel mortem, quae tragica imagine describitur, ad animi de corpore solutionem spectante, sibi optat, ut eum esse, quocum antea collocuta esset, audit. Paedagogus vero eam consolatur animique sui intima proponit, quomodo sibi Xuthus filio subito donatus esse videatur, excitatque iusta addita causa, ut poenas a Xutho sumat et filio.

Necesse est, Creusam tandem, quia dolo maritum peregrinum, ut ipsi videtur, Athenas ducturum videt, sui quoque filii,

quem iam ipsa ex Apolline genitum exposuerat, memorem esse; id quod praeclare fit carmine: ὦ ψυχά, πῶς σιγάσω etc. inde a v. 859—924.

Filii expositi narrationem petit senex servus solitoque more poëta expositionem suam interrogando incipit οἶσθα etc. v. 936. Qua re exponenda vide, quam bene poëta omnia adhibeat ad summae miserationis sensum movendum (v. 961). Attamen G. Hermannus respiciendus est, qui iure ad v. 961 (ed. Herm. v. 978): εἰ παῖδα γ'εἶδες . . . adnotat: „Condonandum hoc materno amori erat, si puer modo in lucem editus et palpitans manus porrigere matri videretur. Sed quod senex respondet, terque quaterque ineptum est, primo quod haec omnino non quadrant in puerum modo natum; secundo propter distinctionem, quae nihil ad rem facit; tertio quod tota quaestio inutilis est; quarto denique, quod aperte non alia caussa hoc quaerere senem poëta fecit, quam ut respondere id posset Creusa, quod eam respondere ipsi placuit. In quo genere si quid Euripides imperite fecit, nemini persuadebit Welckerus in altero de trilogia libro p. 47 idem etiam ab Aeschylo esse factum.“

Ubi ambo de morte filii inter se convenerunt, Creusa tradit seni venenum Gorgoneum, duas sanguinis guttas, ut puer, priusquam Athenas veniat, interficiatur. Poëta viam sibi munivit nodi actionis sensim artius implicandi, dum Creusam servo seni venenum subministrare facit, ut interimat Ionem. Sed mihi quidem neque inepta et absurda paedagogi interrogatio, v. 1016 εἰς ἓν δὲ κραθέντ' αὐτὸν ἢ χωρὶς φορεῖς; utrum cruorem commixtum ferat Creusa an seorsum? neque Creusae responsum v. 1017: χωρίς· κακῷ γὰρ ἐσθλὸν οὐ συμμίγνυται i. e. seorsum se ferre duas illas cruoris guttas, „cum malo enim bonum non misceri“.

Ab ovo vero, quod aiunt, incipiens poëta sequenti cantico chori mythos belli gigantei immiscet, exponit fabulam de Gorgone, ornatus causa paullo longius petitam, iterumque paullo

longius repetit narrationem de veneno a Pallade Erichthonio dato (v. 998: *Ἐριχθόνιον οἶσθ᾽ ἢ οὔ;*). Narrationem suam ornat interposita fabula de antiquissima Atheniensium origine. — Abiturus senex, illo veneno Ionem interempturus, satis poëtico ornatu pedem suum debilem alloquitur, ne defatigatione animum despondeat; cui abeunti chorus vovet, ut, quod sibi senex proposuit, perficiat, ne peregrinus Athenarum imperium sibi vindicet.

6. Ea, quae nunc sequitur, parte tragoediae (vv. 1106—1320) per servum alium certiores nos poëta facit, quomodo senis consilium ad irritum ceciderit et Ion servatus cum auctore caedis Creusa, capitis damnata, magna contentione decertet. Uberiore sermone servus tam perspicue et vivide enarrat, ut tentorium, in quo Ion cum amicis epulabatur, exstrui et ornari oculis conspicere sibi quisque videatur. Non minus copiose, quomodo senex ministraverit convivis, venenum Ionis poculo immiserit, hic vero quasi miraculo servatus sit, depingit. Nihil tamen magis intempestivum, nihil ineptius, nihil minus probabile potest esse, quam exanimatum servum, qui dominam suam anxie quaerit, tam largam ac longam enarrationem loqui facere; et chorum, servas Creusae fideles, quae et de dominae et de suo capite extimescunt, non vacare illi auscultandae, luce clarius est. Fortasse Atheniensibus spectatoribus tale quid placuerit. Nihilo secius concedendum est, hanc servi descriptionem poëticam ex omnium eiusmodi narrationum numero in Euripideis fabulis esse, quae summa confecta sit arte.

Porro bona arte Euripides Creusam, quam Ion insequitur quamque ad supplicium trahere vult, ad aram fugere facit, a qua eam abstrahere vi adolescens veretur.

Ad vv. 1041 seqq. autem notandum est, hunc Creusae servum diversum videri ab illo infirmo sene, quem labante talo et baculo nixum ipsa ad templum duxerat. Poëta sibi non constat. VV. 738—746 enim senex, qui se vix baculo conti-

nere poterat, prorepit; hic vero alacris Parnassum adscendit valdeque sedulus est in Ionis tentorio. Ion senis seduli venenum modo potaturus en! audit libatione facta convicium alicuius servi, quod sibi ominosum ratus sacer puer, iterum pocula replere iubet et prius vinum effundere. En artem poëtae nodi difficultates subinde solventis; Apollo aderat Ioni, hoc innuit poëta.

7. Reliquam huius fabulae partem spectatoribus maxime placuisse, certum est. Minime mirum id quidem! Nam tum, quum Creusa in summum vitae periculum pervenit, poëtam, qui hoc dramatis loco aliquantulum substitit, dum mutuo sese persequentibus, matre et filio irato, neuter cedere vult, aliquid facere necesse erat, quod nodum solveret spectatorumque responderet exspectationi. Ad hunc igitur nodum solvendum Euripides subito adducit Pythiam sacerdotem, afferentem cistam, qua olim infantulum Ionem expositum sustulerat.

Quam praeclare praeparat spectatores ad illud temporis punctum, quo mater et filius, qui adhuc non solum inter se ignoti erant, sed etiam inscii alter alteri mortem erant paraturi, agnoscunt inter se. Ion quam diutissime obnitens repugnat prioribus argumentis, eam mulierem, quae paullo ante veneno sese interemptura fuerit, suam matrem esse; sed ultimo testi certo, ramo etiam tum viridi, dempto ex olea mirabili, cuius folia nunquam marcescunt, cedere eum necesse erat. Et profecto, credit iure Wielandius,[11]) omnibus spectatoribus lacrimas moveri oportere, Ione laetitia elato exclamante v. 1437: *ὦ φιλτάτη μοι μῆτερ . . .*

Par est, iuvenem, qui se nunc natum e stirpe Erechthidarum scit, desiderio flagrare, hoc quoque pro certo comperiendi, quisnam legitimus suus ac verus pater sit. Placet sane ei bene, deum habere patrem, sed quo plus hac de re cogitat, eo

[11]) cf. Attisch. Mus. IV, 3, p. 163.

magis fit dubius. Adversus matris affirmationes tandem nihil proferre valet; nihilo secius prorsus sibi persuaderi ex Apollinisque ipsius ore audire vult. Quod ne fiat prohibetur Minerva dea apparente, quae matris verba probat, ita quidem, ut omnino amplius dubitare Ion non possit. Hic quidem occurrit nobis Deus ex machina (*θεὸς ἀπὸ μηχανῆς*), et evenit, quod Plat. Cratyl. p. 425. E. ait: „*οἱ τραγῳδοποιοὶ ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς ἀποφεύγουσι θεὸν αἴροντες*; sed nodum, qui hic solvendus erat, tantum deus apparens solvere poterat; itaque praeceptum, quod Horatius a. p. vv. 191—192 proponit, secutus est:

„Nec deus intersit, nisi d i g n u s v i n d i c e n o d u s
Inciderit;“

Nodus est vindice dignus. Aut Apollini ipsi solvendus erat, aut eius vice alii deo. Apollo si ipse id, quod pudorem ei iniecisset, coram Creusa confessus esset, decorum (*τὸ πρέπον*) violasset; Athenienses id haud facile probassent, et Euripidem abhorrere puto, ne tale quid indecori committat. Multo decentius confessio haec, quippe quae necessaria ad Ionem permulcendum, alii cui deo demandari poterat, qui, Apollinem, quum Pythiam in tempore cum cistula mitteret, valde Ionis fortunae consuluisse, simul memoraret. At cur non Mercurium, qui iam in scena fuerat, sed Minervam apparere facit? Audiamus, quod Barnesius ad v. 1553 suae editionis iure adnotat: „Hic, ait, videtur Poëta noster personarum numerum frustra et sine causa augere; quia Mercurius, qui prologum egit, potuit quoque huic epilogo sufficere, et forte magis decore, quam Minerva, quae virgo erat. Sed dicendum, magis haec Minervae convenire, cui domus Erechthei praecipue cordi erat, et Athenis praecipue colebatur, et Apollinis erat paulo amantior. Gratior autem erat Atheniensium theatro divae patriae adspectus; et recte Apollo per se non iam apparet, utpote quem pudor retraheret.“

Quamquam Minervae, tutelaris Athenarum deae, voluntas, quam Apollinis nomine nuntiat, Ionem per se permovere po-

terat, ut Athenas se conferret, tamen hoc quoque magni momenti non esse non potuit, quod ipsius potestas, quam Athenis sit gesturus, tanta erit tamque salubris, ut posteri eius per totam Graeciam et Cyclades et oram Asiae spargerentur ibique regnaturi sint. Libenter igitur Ion Athenas vadit. Quum vero Minerva vadenti illi comitem se praebeat, adnuit, sese, ut prius Erechthidarum potestatem, sic quoque in posterum esse tuituram.

Minerva Creusam vv. 1601 sqq. iubet Xuthum celare verum Ionis genus. Hac re certe aliquid peccavit poëta. Qua de re quum Wielandii et Hermanni sententia optima videatur et rectissima, liceat utriusque verba transscribere. Wielandius (Neues att. Mus. I, 1, p. 43—44) haec dicit: „Unter den grössten Theils unstatthaften Einwendungen, die der P. Brumoy wider unsern Ion vorbringt, ist eine einzige, gegen welche es schwer sein dürfte, den Dichter gänzlich zu rechtfertigen. Es ist nämlich ganz und gar nicht wahrscheinlich, dass Xuthus, der doch so gar weit von Delfi nicht entfernt war, von den gewaltsamen Bewegungen, welche die vorgehabte Ermordung des jungen Ion's in dieser Stadt erregte, nichts vernommen haben sollte; und wie sollte es, auch nachdem dieser Sturm sich gelegt hatte, möglich gewesen sein, dem Xuthus die wahre Ursache der Gerüchte, die sich durch eine ganze Stadt verbreitet hatten, zu verbergen? — Ob die allgemeine Antwort, welche selbst der grosse Aristoteles auf alle Einwürfe dieser Art in seiner Poetik für zureichend zu halten scheint, „dass ein Tragoediendichter wegen dessen, was ausserhalb des eigentlichen Süjets, worauf er sich beschränkt hat, liegt, nicht verantwortlich sei,“ für hinreichend angenommen werden könne, will ich itzt nicht untersuchen; wahrscheinlich nahmen es die Zuschauer des Euripides nicht genauer.“

Hermannus vero hac de re in praef. Ion. p. XLIX et L hoc: „Sed non iniuria tamen reprehendere videntur Euripidem, qui de hac tragoedia scripserunt, quod hoc parum veri simile fin-

xerit, nihil compertum esse Xutho de insidiis in conspectu populi Delphici factis Ioni, deque iudicio, quo uxor ad capitale iudicium damnata esset: quibus rebus cognitis, si nihil rescisceret de agnitione facta, incredibilis ei videri debebat Creusae Ionisque ad gratiam et caritatem conciliatio. Sed videtur Euripides scivisse, multa, dum re praesente retinentur spectatores, non reputari, quae post tranquillo animo perpensa non veri similia reperiuntur."

8. Haud immerito Aristotelem (poët. 13, 10) omnium tragicorum poëtarum τραγικώτατον nostrum appellare, hac fabula docemur, qua vario dramatis nexu varios affectus tragicos adumbravit, ita, ut eos, quos in tragoediae personis movet, in nobis quoque, sive spectamus sive legimus eam, concitet. Inter quos primus elucet sensus Exspectatio; haec vero procedente fabula modo minuitur modo increscit. Sic infantulum Ionem, natum ex Erechthei filia, comperimus e Mercurio et videmus expositum, sed qua ratione per varios casus regnum Athenarum, quod ei summo iure debetur, inire possit, nos latet. Dum Ion cum Creusa colloquitur, hi vero Ionis sortem simillimam esse sorti amicae ignotae intellegunt, spes de parentibus Ionis oritur, quae modo minuitur modo increscit in utriusque sinu. Quamquam iam sese infelicem putat Creusa, cognito, Xuthum iam habere, qui regnum affectaret Atheniensium, filium, non tamen prorsus desperat, sed magna est spe, fore, ut senex puero dolose exstincto Xuthi consilium ad nihilum redigat.

Deinde alius affectus, qui excitatur, laudandus est: Metus et terror, qui etiam augetur atque increscit. Metu enim et terrore Creusae animus impletur, ubi se a Xutho, qui iam in Parnasso pueri natalicia celebrat, ut postea eum Athenas secum ducat, falsam esse e choro comperit. Metus vero mox summus est, ita, ut paene non amplius de interitu dubitetur, quum chorus, et paullo post Creusa e servo, senem dolo non vicisse, vel etiam ipsam capitis damnatam esse comperirent.

At etiam affectus iucundiores excitantur, et quidem laetitia

et amor. Laetatur Xuthus, ubi filium, quem tantopere desideraverat, ab Apolline acceptum amplectitur, nec minus Ion, dum oraculi nutu Xuthum patrem desideratissimum agnoscit agnitumque item amoris plenus amplectitur. Quum tandem sub finem tragoediae Pythia progressa eas res, quibus mater agnoscit filium, filius cognoscit matrem, laetitia summa fit et exsultatio, Ionis, quia matrem veram eamque Atheniensem e domo Erechthidarum invenit, Creusae vero, quod puerum amissum reperit habetque dignum e stirpe sua virum, qui praesit Atheniensibus.

§. 3.

De personarum moribus et indole.

Personarum, quae in hac tragoedia partes agunt, mores et indolem si describere ac depingere volo, incipiendum mihi videtur esse ab Ione, a quo haec tragoedia denominatur.

Totam per fabulam Euripides Ionem sic decribit ac depingit, ut pietas eius erga Athenas domumque, quae ibi regnat, Erechthidarum manifeste appareat. Non minus facile odium eius cernitur omnis externi (advenarum), in primis colloquio cum Xutho (vv. 585—647), quo plane et aperte regem advenam neque sibi neque Athenis saluti esse, sed etiam gravem securim infligere rei publicae dicit. Omnino hunc iuvenem poëta in hac tragoedia sic producit, ut animus eius iis locis et rebus, in quibus versatur, conveniat. Iuvenis enim est, ut ait Horatius, „integer vitae scelerisque purus", qui munus suum in Apollinis templo religiosissime ac maxima cum laetitia animique hilaritate administrat. (cf. vv. 82 — 183.) Deum suum Apollinem, quem patrem suum putat cuique servit, summi facit. Sed dixerit fortasse quis, non posse pietatem erga deos eo cognosci, quod (vv. 436—451) in Apollinem, Neptunum, Iovem, itaque omnino in deos vituperans invehat. Attamen equidem contenderim, has ipsas puriores ac

veriores de Apolline Delphico notiones, a pueritia in animo informatas, quae eiusmodi facinoribus turpibus atque inhonestis ipsi non convenire videbantur, iuveni quum simplici tum integro illam, ab optima fide et optimo animo profectam apostrophen, quam vocant, expressisse. Ceterum meminerimus, Euripidem, in scena philosophum, deos, quales vulgus Graecorum venerabatur, omnibus vitiis, quae in homines cadunt, deformes probare non potuisse. Saepenumero quid de illis sentiret significavit; satis erit conferre Hercul. fur. vv. 1315—21, vv. 1341—46. Andromach. v. 1165; et brevissime sententiam suam proposuit in Bellerophont. fr. 23:

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.

Illam igitur opinionem diis indignam poëta sub Ionis persona deridere ac respuere vult, ut omnino, quotiescunque occasio data est, vulgi opinionem ac notiones fabularum ineptas describit. Nihil male Ionem de Apolline sentire, ex eo cerni potest, quod Creusae de illo narrationi credere non vult (v. 339); praeterea hic iuvenis non convenire putat deo non obsequi (vv. 557, 1385). Minervae quoque fidem habet (v. 1606). Ion, quem germani latent parentes, quamquam magno flagrat desiderio cognoscendi eos, tamen providus est nec statim Xutho, qui ipsi patrem sese obtrudit, fidem habet, sed primo furore sagittis eum perforare vult. Ubi vero hoc ab Apolline responsum esse audit, tum demum credit eumque patrem agnoscit. Gaudet, se non e serva natum esse (v. 556).

Forsitan labes sit morum eius et egregiae indolis, quod impetum facit in matrem Creusam eamque interficere vult. Sed videtur tantum esse. Primum enim illa ipsa ei dolis circumvento interitum paratura fuerat, deinde Creusam matrem suam nesciebat, denique ultio ex illius aetatis notionibus licita, quin etiam necessaria erat. Aliter res se habet, postquam Creusam matrem agnovit: nulla maior esse potest pietate ea, qua illam amplectitur.

Ut paucis dicam: Euripides indolem eius egregiam, nusquam exilem, ubicunque providam depinxit et sapientem.

2. Creusa post Ionem summa est in hac tragoedia persona (cf. infra 8). Haec, quae se felicem esse putat, quia Athenae sua patria et Erechtheus pater sit, amore patriae ducta Delphos se confert, ut una cum marito ab Apolline successorem regni Atheniensium precetur, ne id rex externus capessat. Erechthidam enim, quem iam pepererat, fortuna adversa perdidit; amore vero et desiderio inveniendi filium flagrat. — Mulierem se bonam, mariti amantissimam praebet eo, quod hunc ad oraculum consulendum sequitur. Non quidem indolem eius malam esse facit poëta, quamquam longe integra egregiaque mente Ionis superatur. Certe honorem suum bono ac iusto tuetur modo. Videt quidem se a Xutho marito, qui puero, quem suum esse ipsa tum nescit, ut secum Athenas peteret ibique imperium capesseret, persuasit, falsam ac deceptam; hunc tamen incolumem esse, et novum filium tantummodo quam primum veneno e medio sublatum cupit. Neque hoc indoles eius ac mores macula adsperguntur, quoniam ipsi eum, qui sibi inimicus domus suae esse et regnum auferre videretur, omnibus artibus adversus inimicum licitis punire et arcere licebat, nam v. 1334:

Καθαρὸς ἅπας τοι πολεμίους ὃς ἂν κτάνῃ.

Luget quidem, ubi capitis se a senatu Delphico damnatam esse audit (id quod ei vitio vertendum non est), praesertim quum post suam mortem nemo ex Erechthidarum stirpe Atheniensium imperium iniret. Nihilo minus fert mortis necessitudinem. Ratio quoque eius sese de facinore defendendi, quum ipsi ad aram fugienti Ion vehementissime insisteret, moribus convenit. Caussam facinoris, iuste se egisse sibi conscia, libere profitetur, ita tamen, ut nihil offendat. Quid vero, quum, quem antea inimicissimum sibi putabat, mox carissimum suum filium agnosceret? Praebet sese matrem Ionis optimam et filii, quem

perditum crediderat, recuperatione fortunatam, quia dignum habet hominem, cui imperium concedatur.

3. Xuthus idem, quod uxor Creusa, quia ipsis stirps deest, prosperum optat oraculum, secundum quod matrimonium progenie augeatur. Sed responso lato Ionem, quem non cum Creusa genitum scit, secum Athenas ducere vult, ubi imperium ei tradatur. Quod tamen astuto modo perficere cogitat. Ionem enim non filii, sed hospitis nomine adducere in patriam ei in animo est, et tempus exspectare, quo uxor ei faveat, sceptrum ut eum habere Atticae terrae patiatur. Qua ex re tamen etiam pietas erga uxorem elucet. Veretur enim, ne, quum ei spem eripiat progeniei, dolore ac luctu eam afficiat (vv. 656—660). Itaque omnino mores eius nec nobiles nec ignobilis et pravi, nec boni nec scelerati dici possunt.

4. Paedagogus senex omni studio Creusae dominae suae deditus est et eius domui, sic, ut illam, ubi se sine liberis mansuram audit, lacrimantem consoletur. Ut vero Xuthum iam filium iuvenem habere comperit, magna eius erga reginam et omnino Erechthidarum domum pietas sic efflagrat, ut Xuthum contemtum, quippe qui ipse advena filio e serva nato imperium Atheniensium tradere velit, una cum hoc e medio tollendum esse censeat. Puerum in tentorio occidere ipse paratus est. Vehementi autem luctu, qui lacrimas ei excutit, afficitur, quum Creusa, se iam filium cum Apolline genitum, quem morte veri simile sit abreptum, exposuisse, confiteatur; nam domus Erechthidarum felicitatem videt agitatam fluctibus. Lamentari tamen ei non satis videtur, sed de ultione cogitandum esse. Consilium iniurias Apollinis et Xuthi ulciscendi Creusae obsequens mutat; mutat vero ipse Creusae consilium, et non Athenis, sed tunc iam Delphis in comissationibus veneno Gorgoneo puerum interficiendum suscipit, ne suspicio in dominam cadat suam. Et quod sibi proposuerat, id certe perpetrasset, nisi Apollo, Ionis

providus, id prohibuisset. Quod vero, quum spes eum fefellisset, domina prodita aufugit, moribus eius valde nocet.

5. Pythia sacerdotem se praebet, quae animi divinationem sequens Ionem inventum matris nomine magno cum gaudio educat, et tantam eius pietatem meruit, ut hic, quum Creusae iniurias persecuturus esset, dicto eius in tempore advenientis audiens statim incepto desisteret. Vituperatum vero puerum, quod modum excederet ulciscendi cupiditatis, ut purus secundis avibus Athenas vadat, monet, dum tradit ei cistulam, in qua expositus erat, optima fide servatam, ut earum rerum ope, quae hac continebantur, matrem quaereret veram.

6. Servus, qui magistratum Delphicum Creusae mortem decrevisse nuntiat, dominae favet; id quod ex eo cernitur, quod iam totam percurrens urbem inventae illud indicare vult, sine dubio hunc in finem, ut, si fieri possit, fuga mortem vitet. Uberiori sermone, ut est talium servorum mos, describit tentorium splendidissimum exstructum, exponit de ornamentis, quibus Ion tabernaculum circumdedit. Expositis his, quibus Ion tabernaculum exornaverat, telis convivii apparatum describit, deinde vero, quomodo factum sit, ut senex consilium, quod ceperat, non exsecutus et qua de causa mors dominae decreta sit.

7. Chorum denique, egregiam puellarum Atticarum coronam, penitus addictum Creusae et deditum esse eiusque bonae fortunae sese devovere, iam supra vidimus. Nihil eum omnino agere, nihil meditari, nisi dominae suae salutem et regnum Athenarum solis ab Erechthidis gerendum et a Creusae, Erechthei filiae, progenie perpetuo possidendum, quis est, qui non cognoscat?

Consilio quidem Ionis occidendi ad nihilum redacto de capite suo et Creusae fortasse nimis extimescit (vv. 1229—49). Sed habet hoc aliquid excusationis, et quidem pro eius pietate erga domum Erechthidarum eiusque imperinm, quoniam Creusa tum sine progenie mortua stirps Erechthei exstincta esset, et pro eius natura: nam puellae sunt.

8. Inquiramus nunc, quaenam summa sit huius tragoediae ac principalis persona. G. Hermannus praef. ad Ion. p. XXXV sqq. omnino de hac re dubitari non posse putat, quum dicit: „Ioni an Creusae primas partes dederit poëta, ambigat quis forsitan . . . Si primae partes sunt eius, in cuius sorte summa rei vertitur, non est dubitandum, quin ea Creusa sit." Deinde omni ope atque opera summoque ingenii acumine nititur, ut Creusae primas tribuendas partes esse ostendat. Attamen ratio eius hoc demonstrandi mihi quidem non probatur neque argumenta, quae affert, persuadere possunt, ut ei assentiar. Immo vero hoc certum est, agi hac tragoedia de Erechthida adipiscendo, qui Ion est, de cuius sorte agitur. Quodsi ea persona, de cuius sorte agitur, vel, ut V. D. dicit „in cuius sorte summa rei vertitur," principalis est persona, profecto non alia potest esse, nisi Ion. Idem mecum sentit C. O. Muellerus, qui dicit:[12]) „Man wird finden, wenn man die Titel der Stücke der drei Tragiker überblickt, dass sie, wenn sie nicht vom Chor hergenommen sind oder den Mythus ganz allgemein bezeichnen, immer diejenige Person, an welche sich ein solches Interesse (Mitleid und Sorge, und überhaupt das Mitgefühl der Zuschauer) knüpft, namhaft machen. Antigone, Electra, Oedipus als König und Verbannter, Aias, Philoctet, Deianira, Medea, Hecabe, I o n, Hippolytus u. s. w. sind entschieden Protagonistenrollen."

Ionem primas agere partes hoc praeterea demonstrat, quod hic media e porta scenae, quae frontem templi Delphici in conspectu ponit, egreditur; huc tandem accedit, quod Euripides huic dramati nomen Ionis indiderit. Dubium enim mihi videtur, num omnino ulla tragoedia nomen a secundis vel tertiis partibus traxerit.

---

[12]) cf. C. O. Mueller. Gesch. der griech. Lit. p. 58.

§. 4.

Ionis Euripidei philosophica sententia explanatur.

Licet illud, quod supra (cf. p. 16) dixi, poëta sibi maxime proposuerit, eundem tamen, qui Anaxagoram, Prodicum, Protagoram philosophos audierat familiarique amicitia Socratem sibi coniunxerat, atque philosophiae tantum operae dedit, ut suo iure ὁ ἐπὶ σκηνῆς φιλόσοφος „scenae philosophus" sit appellatus [1]), etiam philophicam ac religiosam sententiam, ut omnibus fere tragoediis, sic huic quoque nostrae intexuisse non negaverim. Veram ac praeclaram de Euripide sententiam Valckenarius [2]) dicit hanc: „Socratis familiaris gravissima quoque religionis capita frequenter attigit Euripides. Osor formidolosae superstitionis, quae cives etiam Atticos agitabat, de uno Deo universi conditore, de provida divinae mentis circa res humanas cura, de virtutis amore, de anima post funera superstite [3]), de certo scelerum vindice, de praemiis piorum, de rebus divinis in universum sic sensit, ut in ista terrarum orbis caligine solus ille Poëtarum sapuisse dignusque Socratis consortio fuerit visus christianorum veterum eruditissimo Clementi Alexandrino atque inter paucos proximus accessisse veritatem, quam christiani profitemur."

Philosophica vero ac religiosa, quam Euripides huic tragoediae intexuit, sententia mihi videtur haec esse: „Res humanas cum divina congruere iustitia; deum iustum ac sapientem moderari hominum sortes, ita quidem, ut Deus, quamquam homines innocentes atque virtute praeditos aliquamdiu magnas sustinere patiatur calamitates eorumque saluti prospi-

---

[1]) cf. Euseb. praep. evangel. 10. p. 296. — cf. Aeschin. c. Tim. 151. Aristoph. nub. 1379.

[2]) cf. Valcken. diatrib. in Euripid. perdit. dramat. praef. p. 6.

[3]) cf. Ind. lection. aestiv. 1860 et hibern. 1861 academ. Monaster. II commentat. conscript. a F. Winiewskio.

cere non videatur, meritis tamen tandem eos honoribus praemiisque afficiat.“

Quam sententiam quomodo poëta Ione fabula exposuerit et explanarit, nunc videamus.

Mercurius ipso iam prologo Ionem, principalem huius tragoediae personam eiusque sortem ante oculos nobis proponit, et primum quidem a Creusa, Erechthei filia, expositum *ὡς θανούμενον*. Miramur et quaerimus: quanam re infantulus ille, quamquam innocentissimus nec Deum nec homines aliquid offendit, hoc periculum, morti expositum esse, meruerit? Depositus enim in antro quam facile a feris dilacerari vel alio quo casu vitam amittere poterat? Certe iamiamque de vita eius actum esse putas.

At poëta in antro et quidem Apollinis, quo in antro Clepsydra fons scaturiebat (cf. Paus. I, 28, 4), exponi eum facit. Quid hoc? Aptus est infantis expositioni locus electus, in quo haud difficile inveniri atque servari posset. Quis enim est, qui ignoret unumquemque fontem antiquis temporibus per se, nymphis saltem sacrum fuisse. „Nullus fons non sacer“ ait Servius ad Verg. Aen. 7, 84, „propter attributos illis deos, qui fontibus praeesse dicuntur.“ Quare nullum fontem sine ara et quidem sacrifica invenies.

Sed antra et ipsa Deo alicui sacra plerumque aram habebant et alia signa cultus. Itaque infantes in antro expositi in numinis huius loci tutelam erant traditi atque ita ab insidiis potentiorum tuti. Huc accedit, quod, quum ea loca quotidie saepe frequentarentur, infantem modo expositum ac relictum mox inventum iri certo poterat sperari. Receptaculum enim erant, quod et a solis caloribus et tempestatibus procellisque tegebat. Adibant quotidie sacrum antrum pastores, venatores, agricolae ad Deum precaturi, cui ille locus sacer, et sacrificaturi ac libaturi. Quoniam praeterea et ad antra et fontes viae ducebant celebres, nonne expositum infantulum certo

sperari poterat non modo inventum, sed etiam misericordia eius, qui invenisset, sublatum ac servatum iri? Sic etiam Ioni infantulo accidit, ut a matre exponeretur, sed tamen iam matri Deo certe auctore curae erat, ut illum loco traderet ei, in quo facile posset inveniri atque ita servari. Sed etiam Apollo Deus ipse miscricordia, ut saluti infelicis illius consulat, movetur. Ad quam ei afferendam Mercurium fratrem, ut Ionem ex antro sublatum in limina deponat templi Delphici, mittit. At vero iamne tunc infantulus vere erat servatus? Quid? Nonne hac re iterum morti obiicitur vel alii periculo? Sane in ipso templi limine expositi salus non iam videtur esse. Vel ipsa Dei sacerdos primo obtutu repellere eum ac proiicere cogitat

v. 46 *ὑπὲρ δὲ θυμέλας διορίσαι πρόθυμος ἦν,*

Apollo tamen puero prospiciebat vv. 35—36:

τὰ δ' ἄλλ', ἐμὸς γάρ ἐστιν, ὡς εἰδῇς, ὁ παῖς,
ἡμῖν μελήσει,

ita quidem, ut sacerdotem illam, antea malevolam, ad misericordiam adduceret, infelicem hunc ut non solum non reiiceret, sed etiam tolleret, reciperet, receptumque educaret.

vv. 47—49: *οἴκτῳ δ' ἀφῆκεν ὠμότητα, καὶ θεὸς*
συνεργὸς ἦν τῷ παιδὶ μὴ 'κπεσεῖν δόμων.
τρέφει δέ νιν λαβοῦσα·

Ion iuvenis magnam e ludendo et e parandis aris laetitiam percipit, et vir factus ex administrandis templi opibus ita, ut se sentiat felicissimum, id quod coram Creusa saepissime praedicat atque etiam regnum Athenarum, quod Xuthus ipsi pollicetur, primo recusat. Dei sapientiam ac providentiam Ionis saluti prospicere, quis est, qui non videat, eo iam tempore, quo Xuthus ex Apollinis templi penetrali egressus est? Oraculo enim Xutho responsum erat: eum, qui primus ipsi e templi penetrali exeunti obviam iret, filium esse suum. Deus providit hoc, vel potius effecit, ut Ion primus ei occurreret.

Sed tamen nondum iam Ion ad fortunae suae finem pervenerat: denuo casu concutitur acerbo. Nam quum Xuthus Ioni persuasisset, eum suum esse filium, eumque ut Athenas cum ipso ire vellet, permovisset, hic honores ac praemia, quae eum utpote virum innocentem ac dignum adipisci decebat, iam consequi videbatur. Creusa vero, quominus id fieret, obstitit. Haec enim vel vitam eius petit. Ad propositum exsequendum paedagogum mittit, ut poculo Ionis, qui cum amicis Delphicis epulatur, venenum immittat, ne Athenas ille perveniat. (cf. vv. 1029—1038).

Iam pervenerat paedagogus in eum, quo epulabatur et potabat Ion cum amicis, locum, iam venenum poculo, quod daret Ioni, immiserat. Qui iam tenet manu poculum et libatione facta vinum bibere cogitat. Quid exspectares aliud, ac tunc iam de Ionis vita actum esse? Sane quidem; sed ne interiret, Dei providentia effecit. Deo enim auctore dixit aliquis e domesticis vocem malam:

vv. 1187—89: ἐν χεροῖν ἔχοντι δὲ
σπονδὰς μετ' ἄλλων παιδὶ τῷ πεφηνότι
βλασφημίαν τις οἰκετῶν ἐφθέγξατο·

Quod omen malum servavit eum a morte. Mala enim voce audita alium impleri iussit craterem, priorem Dei libationem terrae infudit ceterisque omnibus, ut idem facerent, edixit. Vino eius poculi effuso columba, quae gustarat potum, cum clangore vocem emisit palpitansque periit.

Sic tertium a morte ereptus atque ipsa Creusa, quae mater filium non noverat atque ita vitam eius petierat, Deo intercedente a lapidatione servata est. Pythia enim e templo egreditur in tempore arculamque, in qua Ionem olim recens natum receperat, ostendit traditque puero, ut matrem inquirat suam. Et quidem sese cistulam illam, ait, usque ad id temporis Deo iubente reservasse:

vv. 1347—49: ἐνθύμιόν μοι τότε τίθησι Λοξίας
σῶσαι τόδ' εὕρημ' εἰς τὸν ὄντα νῦν χρόνον.
et v. 1353: ἐπεί γ' ὁ δαίμων βούλεται· πύροιθε δ'οὔ,

Deumque Ionis fortunam regere ac moderari, vv. 1367 et 68:

ἐξ ἡμῶν δ'ἔχεις
ἅπαντα Φοίβου θ', ὃς μετέσχε τῆς τύχης.

Tum tandem fortuna Ionis adversa ut desineret Dei consilio constitutum est, ita, ut propter innocentiam ac ceteras virtutes ea praemia, quae meruerat quaeque eum decebat adipisci, acciperet. Quippe cistulae ope, quae a sacerdote, quum divinitus ei hoc in mentem venisset, Ioni tradita matris inquirendae indicia continebat, filius invenit matrem Creusam, quacum antea iam collocutus erat, nescius, illam esse, quae ipsum peperisset. Id primum erat praemium, quo afficiebatur. Hoc tamen nondum satis; plus etiam meruerat. Nam e Creusa, Erechthei filia, natum eum Atheniensibus imperare aequum ac iustum erat. Quem honorem Ion Minerva, ab Apolline missa, monente tandem, postquam sese Apollinis et Creusae filium esse intellexit, accepit matremque secutus est Athenas, ubi imperium susciperet.

Sic Euripides Ionis fato, aliquantulum quidem temporis Dei providentiam innocentium hominum ac virtutibus praeditorum saluti non videri prospicere, sed tamen post multas tandem calamitates ac labores (superatos), praemia eos atque honores, quos meruerint, consecuturos esse docet.

Iam vv. 381—383 chorus, spem Creusae dubiam et Ionis sermone aditum oraculi choro recusatum intellegens, de fati humani, cui mortales serviunt, varietate ac diversitate queritur; deinde vero (vv. 1510 et 11), quum omnia hactenus gesta coram conspexisset, miratur denuo fortunae varietatem, sed in spe fausta futuri acquiescit.

In fine tandem huius tragoediae sententiam philosophicam ac religiosam propositam, quam quidem similem aliquid Minerva dea antea vv. 1614—1615:

ἀεί ποτε
χρόνια μὲν τὰ τῶν θεῶν πως, εἰς τέλος δ' οὐκ ἀσθενῆ.

in medium protulit, idem chorus, cui Dei quodammodo in antiquis tragoediis partes dantur, aperte et pulcherrimis confirmat verbis his:

ὅτῳ δ' ἐλαύνεται
συμφοραῖς οἶκος, σέβοντα δαίμονας θαρσεῖν χρεών·
εἰς τέλος γὰρ οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσιν ἀξίων,
οἱ κακοὶ δ', ὥσπερ πεφύκασ', οὔποτ' εὖ πράξειαν ἄν.

Videmus igitur, Euripidem philosophicam ac religiosam sententiam cum ea, quae ad rem publicam pertinet, artissime coniunxisse, et Iacobsium (Nachtrag V, 409) rectissime iudicare quum dicat: „Ueberhaupt aber hat wohl nicht leicht ein tragischer Dichter das subiektive Interesse seines Vaterlandes und des Nationalstolzes so oft und so offenbar dem obiektiven Interesse der Kunst beigefügt, und demselben bald in der Wahl des Stoffes, bald in der Einrichtung der Handlung, bald in einzelnen gelegentlichen Abschweifungen und Tiraden gehuldigt. Die Flehenden, der Ion, und die Herakliden sind einzig und allein diesem Zwecke gewidmet."